


DE ABVSV LINGVAE Græcæ, in quibuſdam vocibus quas Latina vſurpat, ADMONITIO Henrici Stephani.

EIVSDEM TETRASTICHON.

Qui non Græcus erat, vocitatus barbarus olim:
At quæ Græca prius, barbara facta queror.
Huic Graiûm manes grates agitote libello:
Barbaries eius nanque fugatur ope.



ANNO M. D. LXXIII,
Excudebat Henricus Stephanus.

HENR. STEPHANVS lectori φιλέλλωνι.

Dvm qvaedam de Latinæ linguæ abuſu commẽtarer, voces nonnullas à Græcis quidem oriundas, ſed à Romanis ciuitate donatas, in earum numero inueni de quibus agẽdum mihi erat. Poſtea verò quum typographicę occupationes curſum illius operis interrupiſſent, cõtigit neſcio quomodo vt ἔργον mihi eſſet quod futurum erat πάρεργον. Placuit enim interea loci de vocum illarum ſimúlque aliarum quarundam abuſu, dum memoriæ hærebant, aliquid ἀποσχεδιάζειν. Quo labore mirum ni à doctiſſimis etiam quibuſdam viris gratiam ineam, quòd in iis quos patefaciã erroribus nonnulli ſint quos à ſe quoque committi ſiquis eorũ negauerit, eum ſuis ipſius ſcriptis conuictum dabo, & tanquam ſuo ſibi gladio iugulabo. Nec tã mirabor tamen illud (quoniam hoc potiſſimum ſeculo verũ eſſe experimur Catullianũ illud, *Omnia ſunt ingrata: nihil feciſſe benignè eſt*) quàm miror iamnũc, tam politum ſeculum tam horridam barbariem in quibuſdam vocabulis retinuiſſe. Nã ad ſuperioris ſeculi homines quod attinet, nihilo magis in illis tales errores mirari oportet,

Quàm tumidum guttur miramur in Alpibus, aut quàm
In Meroë crasso maiorē infante mamillā.

Tunc enim cautela regulæ Bartolicæ regnabat, *Græcū est, non legitur.* Ideóque vox *presbyter* Græciæ originem suam debere nō dicebatur, sed eius etymō erat, *præbēs suis iter.* Siue, vt alii iocosè παρετυμολογοῦντες dicebant, *bibens præ aliis ter.* Vnde quidam in libello qui Anima fidelis inscribitur, querens de corruptela morū quæ tūc tēporis erat in presbyteris, *Ah periit* (inquit) *hodie nobilis illa interpretatio, Presbyter, quasi Præbens iter. Et rectius potest interpretari, Bibens præ aliis ter.* Siquādo verò aliquid Græcismi aut Græcitatis (vt loquebantur) subodorari poterāt, tum verò dignam se etymologiā comminiscebantur. vt, *Diabolus, ex Dia, id est duo: & Bolus, id est morcellus. quòd diabolus duos morcellos de homine faciat: vnū de corpore, & alterū de anima.* Talia, inquā, nō est quòd miremur: nisi in mediis tenebris lucē quærēdā esse putemus. Nunc verò postquā illæ pulsæ fuerūt, mirū est reperiri qui prælucentē sibi grāmaticē, & ipsum quoq; vsum, loquendi magistrū, cōtemnant, & se ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα πηδᾶν nō videāt. Huius autē rei testis locupletissimus erit hic libellus. Vale.



ADMONITIO DE ABVSV LINGVAE GRAECAE, in quibusdã vocabulis quæ Latina vsurpat.

Autore Henrico Stephano.

De Græcis quibusdam nominibus in quorum genere peccatur. CAP. I.

SYMBOLVM & *Symbola conferre*, dicere solent eorum etiam plerique qui minimè in ordinem ita cogendi sunt vt in vulgo numerentur: quum tamẽ dicendum sit, *symbolam conferre*, & *symbolas*. Hoc enim fœminino, non illo neutro, vsi comperiuntur qui nobis supersunt Latini comici, Plautus & Terentius, si fides veracibus exemplaribus habeatur. Et meritò certé. huius enim fœminini hac in significatione frequẽs est vsus cũ aliis scriptoribus Græcis, tũ verò comicis, apud Athenæũ: at illius quod neutrum est, nullus. Eubulus OEdipode,

Ὅστις δ' ἐπὶ δεῖπνον ἢ φίλον τιν' ἢ ξένον
Καλέσας, ἔπειτα συμβολὰς ἐπράξατο,
Φυγὰς γένοιτο, μηδὲν οἴκοθεν λαβών.

Elegantes verò sunt & hi duo qui proximè præcedunt ibidem iambici: ex quibus etiam apertior illorum sensus esse potest.

Ὁ πρῶτος εὑρὼν τἀλλότρια δειπνεῖν ἀνὴρ,
Δημοτικὸς ἦν τις, ὡς ἔοικε, τοὺς τρόπους.

Quos quinque versus Græcos istis Latinis quinque non malè reddi posse arbitror penè ad verbum: & quidem retinendo vocem Græcam συμβολὰς, de qua nunc agitur, sed Latinis eam literis scribendo:

Aliena qui cœnare primus repperit,
Mente populari præditus, opinor, fuit.
At qui vocatos ad suam cœnam hospites
Aliósve amicos symbolas poposcerit,
Sit ille profugus, efferens domo nihil.

Vt autem Græcis comicis, sic & Latinis, in palliatis præsertim comœdiis vocem hanc placuisse videmus. Plautus Sticho,

--eò condixi in symbolam
Ad cœnã, ac eius conseruũ Sagarinũ Syrũ.

Et tribus versibus interiectis,

Iam hercle ego per hortum amicam trãsibo meam,
Mi hanc occupatum noctem: eadẽ symbolã
Dabo, & iubebo ad Sagarinũ cœnã coqui.

Mirum est autem, in editionibus typographicis prioribus, vno quidem in loco *symbolam*, at in altero *symbolum* scriptū esse: quum tam paruum sit inter hos interuallum, & de vna eadémq; re, quinetiam ab vno eodémque sermo habeatur. Quod nō aliunde cōtigisse puto quàm quòd posterior locus meliori sorte quàm prior, quępiam παραδιορθωτὴν latuerit, atq; ita audacē vel potius temerarium eius calamum effugerit. Sed alii non itidem talem calamum seu talem manum euaserunt: quorum è numero est hic, in Curculione,

Symbolorū collatores apud forū piscatoriū.

Eædem enim editiones quas dixi nobis exhibere vocem *symbolū* pro *symbolam* in illo priore Stichi loco, hîc itidem genitiuum *symbolorum* pro *symbolarum* exhibent. Sed in recentioribus editionibus audacia παραδιορθωτοῦ seu παραδιορθωτῶν repressa fuit. Felicius certè actum fuit cum quodam Epidici loco, vbi voci *symbolæ* eorum nemo manus attulit:

Sine meo sumptu paratæ iam sunt scapulis symbolæ.

Fortassis autem ideo saluus & incolumis hic locus mansit, quòd non intelligeretur, & huius vocis alia planè hîc quàm in locis illis

videretur esse significatio: quum tamen ad illã omnino alludat poeta, iocosa metaphora (more suo) vtens, & συμβολὰς vocet τὰς συμβαλλομένας πληγάς: tanquam videlicet verbero ille non vnius sed plurium manibus verbera esset accepturus: sicut συμβολαὶ non ab vno sed à pluribus penduntur. Lepidè etiam addit (vt discrimen inter has & illas ostendat) *Sine meo sumptu.* quod non animaduerterunt qui hęc verba nõ sequentibus sed praecedentibus iunxerunt.

Apud Terentium verò serò tandem vox haec integritati suae restituta fuit: quum haec lectio in editionibus plurimis, ex recentioribus quoque, visatur,

--eho, quid Pamphilus? quid? symbolum
Dedit, cœnauit.

quum legendum esse constet *symbolam*, ex veterum etiam codicum autoritate, & nominatim Vaticani. Hunc tamẽ potissimùm locum errori originem praebuisse credibile est, quòd hunc comicum multo plures terere solitos fuisse quàm alterum sciamus. Hinc igitur manauit fortassis mendosum illud loquendi genus, *symbolum suum aliquam in rem conferre.* Adeò vt minimè dubium sit quin emendatè loquẽs doctissimus linguae Graecae Budaeus, à mendosè loquen-

tibus reprehensus sit, in hoc loco priorum Annotationum in Pandectas: *His Pandectis coagmẽtandis septem & triginta iurisconsulti symbolas contulerunt: ex quorũ verbis Digestorum leges, velut centones, consarcinatæ sunt.* Equidem vel hic locus *symbolam* & *symbolas* eum quoque in iis qui producti fuerunt locis legisse testari posse videtur. Non ignoro interim fuisse qui de hoc apud Terentium errore admoniti, *symbolum* de annulo posse intelligi dicerent. Et sanè malam causam melius quàm ita defendi non posse existimo, ídque propter locum quendam Eunuchi: & quòd *symbolum* peculiariter etiam dictum de annulo fuisse ex Plinio didicerimus. Sed Plauti locus cuiuis tergiuersationi occurrit: & ipsum quoq; Donatũ in altera significatione accepisse (quæ & conuenit loco, & statim lectori in mentem venit) in sequentibus docebo.

Auos tamen nostros ad hunc scopulum offendisse minus mirum est, quàm esse nũc quoque multos qui ad eum offẽdant. Multo etiam magis mirandum est, Lexici illius quod meum Thesaurum Græcæ linguæ proximè præcessit, autoritate (siqua modò esse debet vel potest innumerabilium propè mendaciorum conuicti Lexici autoritas)

errorem illum confirmari. In eo enim ſcriptum eſt, σύμβολον vel συμβολὴν, itidémque Latinè *ſymbolum* vel *ſymbolam*, eſſe collectam, συναγώγιον, ſiue collectitiam cœnam. At in paucis hiſce verbis multipliciter mentitur quicunque eſt illius libri autor. Primùm enim falſum eſt, Græcè σύμβολον, falſum eſt item Latinè *ſymbolum* eundẽ vſum habere quem συμβολὴν & *ſymbolam*. Deinde etiamſi hoc illi concederetur, cui perſuadebit, aut vnde probabit, pro ipſa etiã cœna collatitia accipi συμβολὴν, vel *ſymbolam*? Scilicet τὸ ἀπὸ συμβολῶν δεῖπνον, huic Lexico fidem habentes, vocare poterimus συμβολήν. Verùm vt de nomine σύμβολον pergam dicere, quum meum Theſaurum excuderem, omnes quos vel memoria mihi ſuggerebat, vel in eius ſubſidium repoſitos habebam locos, excuſſi, nec vllum tamen eius ſignificationis οὐδ᾽ ὄναρ exemplũ inueni. At in illo præclaro Lexico ea confirmatur loco Terentii, *-ſymbolum Dedit, cœnauit.* quum *ſymbolam* eum ibi ſcripſiſſe, veteres codices teſtentur, vti dixi. Additur verò & alius eiuſdem poetæ locus in Eunucho,

Heri aliquot adoleſcẽtuli coimus in Piræo,
In hunc diem vt de ſymbolis eſſemus.

Sed quomodo obſecro, fidem hic locus fa-

cere potest, quum *symbolis* non minus à *symbola* quàm à *symbolum* esse possit? Ad Plautinum autem locũ quod attinet (quem & ipsum attuli) nihil minus credendum est quàm poetam illum, postquã dixisset *symbolum*, statim eandem vocem in alio genere repetiuisse, dicentẽ *symbolam*: sed potius miraculo quodam factũ esse vt vox quæ temerarii cuiuspiam correctoris oculos non fugisset in præcedentibus, eos fugeret in iis quæ sequebantur, & quidem minimo interuallo. Superest Auli Gellii siue Agellii locus, qui tanquam firmissimum causæ prȩsidium, ibi affertur. Is enim libri sexti caput decimumtertium his verbis claudit, *Talia apud Taurum symbola, & alia, quæ erant secundarũ mensarũ, vt ipse dicere solitus erat,* τραγήματα. Sed quod firmissimum præsidium prima frõte videri potest, valde infirmum esse apertè ostendam. Primùm enim facilè *symbolæ* in *symbola* deprauari potuisse, sicut apud Plautum & Terẽtium, nemo negauerit: deinde *talia* posse retineri, etiamsi *symbolæ* legamus, obscurum non est: faciam certè vt obscurum non sit. Illius enim capitis hoc est initium, *Factitatum obseruatúmque hoc Athenis est ab iis qui erant philosopho Tauro iunctiores. Quum domũ suam*

nos vocaret, ne omnino, vt dicitur, immunes & ἀσύμβολοι veniremus, coniectabamus ad cœnulam non cupedias ciborum, sed argutias quæstionũ. Et paucissimis verbis interiectis, *Quærebantur autem nec grauia nec verenda, sed ἐνθυμήματα quædam lepida & minuta, & florentem vino animum lacessentia.* Postquam autem horum exempla proposuit, tandem verbis illis caput claudit, *Talia apud Taurum* &c. Hæc enim quum ita sint, non video quomodo quis negare queat *talia* referri posse vel potius debere ad illa quę quærebantur, ἐνθυμήματα etiam ab eo appellata. vt nimirum per appositionem (vt loquuntur grammatici) dicat, *talia*, fuisse *symbolas*, id est cõferri solita fuisse tanquam symbolas, siue symbolarũ loco. Atq; ita nec *talia symbola*, nec *tales symbolæ* scribi necesse fuit. Sed credibile est audacem alioqui librarium, ad mutãdum *symbolæ* in *symbola*, audaciorem etiam à præcedente voce *talia* fuisse redditum. Cæterùm obseruatione obiter dignũ est in illo Gellii loco verbũ *coniectabamus*: quo vsus est potius quàm verbo conferebamus, vt quasi natiuam vim τοῦ συμβάλλειν, vnde est ortum συμβολὴ, ante oculos poneret. Illo autem vocabulo composito *asymboli* vtitur post Teren-

tium Phormione,

Téne asymbolum venire vnctum atque lautum è balneis?

Vbi Donatus hoc nomẽ inter parasitos con fictum atque compositum esse tradit. Et *asymbolum venire*, contrarium ei esse quod legitur in Andria, *symbolam dedit, cænauit.* Nam exẽplaribus quæ *symbolum* & hîc scribunt, fidem planè derogãdam aio. Nec mirum est sanè si, qui manus Terentio afferre ausi sunt ad corrumpendam hanc vocem, eius expositori nõ pepercerint. Hoc saltem cõstat, eum illud vocabulum (vtrocunque modo legatur) de annulo non intelligere: quippe qui locum vnũ alteri opponat. Alioqui enim dicendum esset *asymbolum* vicissim ab illo intelligi eum qui annulum non dedisset. Iam verò & aliud argumentum ex eius verbis duci posse videtur. Nam si verũ est quod ait, ἀσύμβολος esse vocabulum à parasitis fictum (vt paulo pòst *cæna dubia* parasiticum verbum esse dicit) rationi cõsentaneũ est vt ex vocabulo συμβολὴ, ad eãdem rem pertinente, sed inuiso parasitorum auribus (vtpote propriè & peculiariter significante pecuniam quæ confertur in cœnam: quum alioqui suapte natura collationẽ simpliciter sonet) factum esse censeatur: non

autem ex σύμβολον: quod etiāsi alicubi hanc significationem habere cōperiretur, at minimè propriam eā habere dici posset. Quòd si etiam verum non esset quod Donatus de illo nomine scribit, nimirum à parasitis fuisse excogitatum, saltem in eo quòd illis hoc attribuit, ostēdit se ex nomine συμβολὴ, non ex σύμβολον, compositum existimare: propter eam quam attuli rationem.

Vt autē inueteratū esse hunc de voce *symbolum* errorem existimem, facit quod apud diuū Augustinū legitur, de symbolo Christianæ fidei (quod & Apostolicū symbolum vocatur) posse hîc collationem ea voce intelligi. *Symbolū* (inquit) *cōprehensio est fidei nostræ atq; perfectio, simplex, breue, plenum: vt simplicitas consulat audientium rusticitati, breuitas memoriæ, plenitudo doctrinæ. Quod enim Græcè symbolum dicitur, Latinè collatio nominatur. Collatio ideo, quia collata in vnum totius catholicæ legis fides, symboli colligitur breuitate.*

Fortasse tamē diuus Augustinus (licet eum & alibi obseruauerim non satis exactè quædam ad Grecā linguam pertinentia tradere) dū hæc scriberet, nō ita memoria fuit lapsus vt non recordaretur συμβολὴν, nō σύμβολον, Græcis esse quod Latinis est collatio: sed

eos qui nomē huic cōprehēsioni imposuerāt, voce σύμβολον pro altera συμβολὴ abusos esse credidit. Verùm aliter se res habet, quū alia in prōptu sit huius appellationis ratio, tribuendo voci σύμβολον non aliam quàm suam & vulgarem significationem: si nimirum σύμβολον vocatū fuisse dicamus quòd sit Christianæ fidei velut tessera, siue tessera qua veri Christi milites internosci queant. Fateor tamen me aliquando alteram illam huius appellationis rationem magis probasse, dum eā vocabulo σύμβολον, seu significationi huius vocabuli, vim afferre non considerarē. Cęterùm ne ego dum hîc sum nimium μακροσύμβολος (alio quidem certè modo quàm vt Attici μακρὰς συμβολὰς appellare soliti erant) cogar ad pleraque alia quæ tractanda sunt, accedere ἀσύμβολος, vtpote cōsumptis in hac quæstione horis quæ aliis impertiendæ erant: ita hunc sermonem claudam vt istud saltem eripi mihi non posse dicam, vocem σύμβολον pro συμβολὴ fuisse Græcis incognitam, ideóque hac in significatione aut esse barbaram, aut certè licenter & nō sine abusu in Latinum sermonē fuisse receptam, si quidem apud vllum classicum scriptorem veterum quoque exemplarium autoritate comprobata reperiatur.

GENVS fœmininū viciſſim pro neutro vſurpat vulgus (vulgo enim peculiaris eſt hic error, multo præcedente craſſior & putidior, vt ita dicam) quum *Bibliā* & *Chronicam* vocat, quæ nomine *Bibliorū* & *Chronicorum*, βιβλίων & χρονικῶν, appellari debent: ſimul nimirum ſingulari numero pro plurali vtens vel potius abutens. Ideóque huius erroris mentio facienda iterū erit vbi de NVMERI abuſu agetur.

AT GENERE fœminino pro maſculino non vulgus tantùm, ſed & ii qui vulgus contemnunt, abutuntur in voce *Pandectæ*: quaſi verò πανδέκται non habeat nominatiuum ſingularem πανδέκτης. quod nihilo magis fœminini generis eſſe poteſt quàm Θεοδέκτης & Πολυδέκτης eſſe poſſunt mulierum nomina: & quaſi vt δέκται eſt maſculinum, δέκτριαι fœmininum, ita etiam πανδέκται non ſit maſculinum, at fœmininum aliud eſſe nō poſſit quàm πανδέκτριαι: quaſi denique tituli illius ſplendor vel ipſi grammaticæ oculos præſtringere debeat. Magnū equidem certamen ingredi me ſcio, ſed ex quo tamen nonniſi victorem diſceſſurum ſpero. Ac primùm, quum iuriſconſultos habeam aduerſarios, pro fœminino Pādectarum genere, tanquā pro aris & focis pugna-

turos, primus & maximus impetus ab illa eorũ regula timẽdus mihi eſt, Cõmunis error facit ius. Sed impetus ille à me facilè ſuſtinebitur: præſertim quum multos ſponte manus mihi daturos & ad caſtra mea trãſituros ſciam, vel ipſo ſui tam diuturni erroris pudore ſtatim victos. Et tamẽ celeberrima illa editio quæ Florẽtia prodiit, Pãdectas & ipſa fœmininas facit. Epiſtolæ enim ad lectores editioni illi præfixæ, hoc eſt initiũ, *Cum vetuſtiſſimo Florentinarum Pandectarum codice nullum omnino alium integritate ac fide comparandum eſſe, iam omnibus eſt perſuaſiſſimum.* Quid? *Florentinorum Pandectarum* dici debuit? Ita dicendum tunc fuit, & nunc quoque dicendum itidem eſt *Pandectæ Florẽtini*, nõ *Florẽtinæ.* Niſi fortè quandam ſibi peculiarem grammaticẽ habere ſe iactent iuriſconſulti, quam ſequi ab Imperatoria maieſtate iubeantur. Primùm enim illud quod dixi, negare non poſſunt, πανδέκται habere nominatiuũ ſingularem πανδέκτης, quod eiuſdẽ generis eſſe neceſſe eſt, cuius ſunt Θεοδέκτης & Πολυδέκτης. Deinde, reſpondere nõ poſſunt, vocẽ illam, tranſeuntem è ſingulari ad pluralem, ſimul etiam è genere maſculino ad fœmininum trãſire. Poſtremò, vbi locum illis protulero

in quo πανδέκταις scriptum est masculino genere, quamuis alium ibi vsum habeat, eò confugere non poterunt vt dicant vnà cum significatione genus mutare. Manēte enim eadem terminatione, maneat idem genus oportet. Is autem locus quem dixi est Synesii, vbi scribit, ἐπιστολὴν δὲ πρὸς αὐτὸν ἐπιθεῖναι καίτοι προθυμηθεὶς κατενάρκησα, ἵνα μὴ εὐθύνας ὑπόσχω τοῖς πανδέκταις τοῖς ἀποσμιλεύουσι τὰ συγγράμματα. Vbi Budæus πανδέκτας vocari suspicatur eos qui intercipiebāt literas, deinde adulterabāt. Ego verò aliquid præterea sub hac voce latere ibi crediderim. Sed ne ab altera huius nominis significatione longius discedam, vidēdum est an in ea quoque masculinum esse, idoneo quopiam testimonio probari possit: si tamē res tam clara támque testata vllo insuper testimonio eget: id est, si soli facibus admotis est opus. Perinde tamen acsi egeat, quæramus. Aulus Gellius certè, siue Agellius, suppeditare posse videtur, lib. 13, cap. 9, in ipso principio, *Tullius Tiro, M. Ciceronis alūnus & libertus, adiutórque in literis studiorum eius fuit. Is libros complures de vsu atque ratione linguæ Latinæ, itē de variis atque promiscuis quæstionibus cōposuit. In iis esse præcipui videntur quos Græco titulo* πανδέκτας

libros inſcripſit, tanquam omne rerum atque doctrinarum genus continentes. Idem alibi, *Sunt qui libros ſuos, πανδέκτας, id eſt omniũ receptacula, inſcripſerunt.* Quid? in illo priore loco, nónne πανδέκτας libros dicit tanquam adiectiuũ ſubſtantiuo iungens? Quod quum ita ſit, qui πανδέκτας fœmininũ eſſe dicere perget, is eadem opera & *libros* fœmininum eſſe contendat.

Erunt autẽ fortaſſis & qui me quæſtione illa adoriẽtur, ſi πανδέκται ſit adiectiuũ maſculinũ, quod ſubſtantiuũ extrinſecus aſſumi, ſiue (vt grammaticè in rebus grãmaticis loquar) ſubaudiri debeat. At ego, etiamſi nullum nec à me nec ab alio inueniri poſſet quod ei aptè iungeretur, non propterea minus iis quæ dico, id eſt ſimplici & apertę veritati, credendum & acquieſcendum eſſe dicerem: ſed ne hîc quidem mihi defuturum ſpero quod ita reſpondeam vt ſibi à me ſatisfactum eſſe dicere debeant. Quum enim videamus veteres ſæpenumero libros ſuos appellaſſe λόγους, quidni πανδέκτας λόγους eos dixiſſe veriſimile fuerit? Nam quum βίβλους fœmininum eſſe cõſtet, ſiquis πανδέκτας βίβλους dixiſſet, alterutro præter linguæ Græcæ cõſuetudinem vſus eſſet: nimirũ vel hoc in maſculino genere, pro fœmi-

nino: vel illo, in fœminino, pro masculino.

Sed iá plerosque manus rationibus meis dantes videre mihi videor, & terminationis vocum linguæ Latinæ similitudine in errorem se quoque impulsos fuisse fatentes. Nec defuturos tamē puto quorū contrà aures ab his verbis *Pandectæ Florētini*, sic abhorreāt, propter insolentiā, vt Aristophanicum illud dicturi sint, ἡμᾶς οὐ πείσεις, οὐδ᾽ ἢν πείσῃς.

AD PARAGRAPHVM veturus erā à Pandectis, quòd iurisconsulti vt Pandectis fœmininum genus pro masculino tribuūt, ita vicissim *paragrapho* masculinum dent pro fœminino: & ita facili permutatione vtrique nomini quod suum est reddere possint. Quanuis enim παράγραφος Græcis vtrunque genus admittat, quum tamen hac voce absque adiectione vtebantur, non dubium est quin τὴν παράγραφον, non τὸν παράγραφον dicerent: vtpote γραμμὴν subaudientes. Sed quum iidem iurisconsulti nomen illud παράγραφος de possessione significationis auitę deiicere non dubitarint, non mirum est si etiam genus ei suum mutare ausi fuerint.

CHIROGRAPHVS in mentem mihi venit, dum *paragraphi* mentionem facerem. Sunt enim qui *Chirographus* dicant, in

genere

genere itidem errantes, ſed ſimul etiam in terminatione. *Chirographum* enim rectè dici, non item *chirographus*, exiſtimo: vt Græcè τὸ χειρόγραφον, nō item ὁ χειρόγραφος, dici ſolet. Ad me quidem certè quod attinet, nihilo magis *chirographus* dixerim, quàm Autographus & Antigraphus, pro Autographum & Antigraphum: αὐτόγραφον & ἀντίγραφον. Loquor autem de illa *chirographi* ſignificatione qua ponitur pro eo quod recentiores Græci ἰδιόχειρον etiam vocauerunt. Alioqui voce χειρόγραφος, tanquā adiectiua, & in maſculino & in fœminino genere vti poſſumus: veluti ſi librum χειρόγραφον, vel epiſtolam χειρόγραφον dicere libeat. Scio tamen illi etiam voci *chirographus* pro *chirographum* poſitæ quoſdam autoritatem attribuere conatos eſſe ex nonnullis ſcriptorum veterum locis. Sed vnico Fabii loco (quod ſciam) niti poſſunt. Verùm infirmo eos niti præſidio exiſtimo, eámque ſcripturam eſſe eiuſmodi quæ à Fabio non agnoſceretur: atque adeo, quæ ne ab emendatioribus quidem exemplaribus eius librorum (ſiquis ea cōſulat) agnoſcatur. Exiſtimo autem, ἐντελὲς quidem eſſe, χειρόγραφον γράμμα: at χειρόγραφον dici ἐλλειπτικῶς, breuitatis gratia. Chirographon tamen





peculiariter etiã de ipsa (vt vulgò loquimur) signatura dixisse veteres quoque videntur.

Sed quid si opponat mihi quispiam *Syngraphus*, quod apud Plautum legitur? Primùm certè an Plautini loci scriptura omni suspicione careat videndum est: deinde fieri potest vt ipsemet Plautus, qui *Syngraphus* pro *Syngrapha* dixit (si modò pro confesso id habendum est) nõ itidem *Chirographus* pro *Chirographum* dicturus fuerit. quanuis aliam quandam vocem masculino itidem genere efferri ab eo videamus, quæ neutro efferenda fuisset: quum videlicet *symbolum* masculino genere dicit: si tamen non mentiuntur exemplaria. hoc enim semper excipio. Sed etiamsi de fide exemplarium in omnibus hisce locis constaret, respõderi posset illa dici ἀρχαϊκῶς: sicut in plerisque vocibus non solùm quæ à Græcis ortæ sunt (veluti quum *schema*, *schemæ*, dictum fuit) sed & aliis non idẽ genus priscis Latinis placuisse quod eorum posteris videmus. Quod certè non patrocinatur iis qui inconsideratè & per ignorãtiam nomine aliquo in alio genere quàm suo vtuntur: præsertim quum vnà cum genere terminatio quoque mutatur: vt qui *Canister* pro *Canistrum* dixerunt.

DIAMETRVM in eorum nominum

ponere numero possumus, quibus circa genus fit iniuria: id est, quibus aliud quàm suũ genus tribuitur, nimirum masculinum pro fœminino. Quòd si qui fœmininũ esse scientes illud nomen, dicere tamen *Diameter* licere sibi putauerunt, magis etiam reprehendendi sunt quàm qui masculinum esse crediderunt. Quis enim terminationẽ illam in *er* à fœminino genere alienam esse non videt? Quum autem in nominatiuo *Diametrus* dici possit, nõ minus libenter tamẽ terminatione Græca *Diametros* dixerim. Natus autem est hic circa genus istius nominis error, vnde & alii nonnulli, nimirum ex eo quòd ignoraretur esse adiectiuum, cum quo substantiuum fœmininum apud Græcos subaudiretur. Dicitur enim ἡ διάμετρος γραμμὴ pleno sermone, & breuitatis gratia διάμετρος.

COMETAE & Planetæ superioribus nominibus addere possumus, in quibus nimirũ circa genus à nonnullis peccatur. Duo autem hîc in errorem impellunt, nimirum & terminatio, & substantiuum stellæ, quod cum illis, tanquã fœmininis, genere cõuenire existimatur: quum Græca vox ἀστέρες, qua stellæ significantur, sit masculina: & dicatur ἀστέρες κομῆται, & πλανῆται: in singulari, ἀστὴρ

κομήτης & πλανήτης. Quinetiam quod ad terminationem attinet, non dubiũ eſt quin rectius *Cometes* & *Planetes* quàm *Cometa* & *Planeta* dicatur.



De Græcis quibuſdam nominibus in quorum declinatione peccatur. CAP. II.

IN DECLINATIONE nominũ quæ ex Græcis ſumpta Latini vſurpant, peccari etiam videmus, ſimúlque in terminatione. Peccant (vt primum locum eidem exemplo quod primum memoriæ meæ ſe offert) qui *Hebdomadam* dicunt quam *Hebdomadem* vocare deberẽt. Græcis enim eſt ἑβδομὰς, ἑβδομάδος: vnde fit *Hebdomas*, *hebdomadis*, non *Hebdomada*, *hebdomadæ*. Declinatione abutuntur & qui *Symbola*, *ſymbolæ*, pro *Symbolum*, *ſymboli*, dicunt. Primam enim declinationẽ pro ſecunda vſurpant. Eodémque peccant modo & qui *Biblia*, *bibliæ*, qui *Chronica*, *chronicæ*, pro *Biblia*, *bibliorum*, & *Chronica*, *chronicorum*, dicunt. Sed de illo priore ſatis ſupérque dictum fuit initio huius libelli, quum de nominibus diſſererem in quorum genere erratur: quòd hic error illi ſit annexus. Ad po-

ſteriora autem duo quod attinet, ita eorum mentionem ibidem feci, vt quædam in caput quo de abuſu numeri agetur, reſeruarē.

IN PROPRIIS nominibus, quæ ex Græcis ſumpta Latini vſurpant, non minus erratur circa declinationem. Cuiuſmodi error omnia quæ adhuc vidi Martialis exemplaria occupauit. Quum enim ab illo puella quædam vocetur *Erotion*, lib. 5, epigr. 38, in hoc ſcazōte, *Adhuc recenti tepet Erotion buſto*, & declinetur *Erotion*, *Erotij*, vt Glyceriō, Glycerii. Gnathænion; Gnathænii: contrà Erotion, Erotionis, ſeu Erotiontis, declinarunt & qui ſcholia in hunc poetā ediderunt, & quotquot ſuis eum typis excuderunt: quū hunc titulum illi epigrammati præfixerunt, *De Erotione puella*, vel, *Erotionte*. Atq; hoc vt ab exactiore quapiā grāmatica profectū amplexata eſt Antuerpiana editio, quæ non ita pridem prodiit, ad vetuſtiorū codicum fidem diligenter emendata, vt quidem titulus promittit, & ſcholiis in margine illuſtrata. Atqui ſi *Erotion*, *Erotionis*, vel *Erotiontis*, declinare licet, eadem opera *Glycerion*, *Glycerionis*, ſiue *Glyceriontis*, itidémque *Gnathænion*, *Gnathænionis*, ſiue *Gnathæniontis*, declinare poterimus. Sedenim hoc omnino eſſet fœminā in marē transformare: quum

non muliebrium ſed virilium nominũ eſſe
talis declinatio ſoleat: in ONIS tamen po-
tius quàm ONTIS. vt Parmenion, Par-
menionis: Philiſtion, Philiſtionis: Hephæ-
ſtion, Hephæſtionis. Atque adeo non deeſt
apud hiſtoricos qui Erotion vocetur ſicut
& qui Eros appelletur. Atque ex hoc factũ
eſt illud per ὑποκορισμόν: ſicut Philiſtiō ex
Philiſtus, Parmenion ex Parmeno, Hephæ-
ſtion ex Hephæſtus. Eodémque & illa fœ-
minina modo ſunt ὑποκοριστικά. Nam Gly
ceriō ex Glycera, Gnathæniō ex Gnathęna,
ſic Leontion ex Leæna, Nannion ex Nan-
νω, ὑποκοριστικῶς deduci videmus. Sic ta-
men vt quædam etiam inueniri fatear de-
ducta per diminutionẽ ex nominibus quo-
rum aut rarus aut nullus etiam fortaſſis eſt
vſus: vt Stephanium, Phroneſium, Pinaciũ,
apud Plautum: apud Terentium Phormio-
ne Phanium. Hoc tamen fortaſſis à Φανῶ
deductũ videri queat, ſicut Νάννιον à Ναννῶ.
At Pinacium præcedit quidem vox Pinax,
ſed quæ maſculini ſit generis, ideóque ad
muliebre nomen accommodari nō poſſit:
niſi ex nomine maſculino Πίναξ ita tranſi-
re ad fœmininum dicamus, vt Ἐρώτιον ex
Ἔρως. Apud eundem comicum Terentium
meretricula quędam modò Philotion ὑπο-

κοριστικῶς, modò extra ὑποκορισμὸν Philotis appellatur, in Hecyra,

Sed videóne ego Philotion? vnde hæc aduenit?

Philotis salue multum.

Paucis versibus interiectis,

AEdepol te desideriũ Athenarũ arbitror
Philotion cepisse sæpe, & te tuum
Consilium contempsisse.

Scribendo autem Philotis, transit nomen appellatiuum in proprium: simúlque hæc scriptura recipiendo ὑποκορισμῷ apta est. Alioqui enim φιλότης vel ὦ φιλότης Græcis est vsitatum, quum blandè quempiam compellare volunt (non secus ac quum dicunt ὦ φίλη κεφαλή) Cuius vsus exempla meus Thesaurus Græcæ linguæ suppeditabit. Quòd autem sine discrimine modò Philotis, modò Philotion dicit, argumento est ὑποκορισμὸν in his nominibus esse terminatione tenus, aut saltem, magis terminatione quàm significatione. Vnde etiã factum est fortassis vt Græci huiusmodi diminutiuis accentum eum non darent quem diminutæ voces postulant: (ideóque suprà Νάννιον non Ναννίον scripsi) nihilo magis quàm appellatiuis nominib⁹ ἴχνιον, & ἔριον, & αὔλιον: & quibusdam aliis, quanuis sint

diminutæ. Donatus autem licentiæ hoc imputat, quòd compellatio ita mutetur. Scribit enim, *Vide licentiam. suprà Philotion, hîc Philotis dixit.* Apud Aristophanem certè videmus ex Φειδιππίδη statim transiri ad Φειδιππίδιον, itidémque ex Σώκρατες ad Σωκρατίδιον, sed ita vt diminutiuũ addat quasdam blanditias: in Nubibus,

ΣΤΡ. Φειδιππίδη, Φειδιππίδιον. ΦΕΙΔ. Τί ὦ πάτερ; Ibidem,

ΣΤΡ. Ὦ Σώκρατες, ὦ Σωκρατίδιον.

Itidémq; τῷ Philotis si statim subiũgeretur Philotion, idem, vt opinor, dici posset. Et sanè in nominibus virorum diminutio nõ ita otiosa est, vt in muliebribus plerunque. Quòd si quis roget cur nihilo magis illa accentum diminutioni conuenientẽ habeant quàm hæc, in prõptu ratio est, quòd ξιφίδιον, licet diminutiuum sit, quemadmodum & βιβλίον, non tamẽ itidem sit paroxytonũ.

Verùm vt omissis hisce quæstionum salebris, ad puellam Erotion reuertar, idem nomen apud Plautum quoque extat in Menæchmis, eóque appellatur ibi quædã meretrix. Ibidem datiuus, *Erotio*, non *Erotioni*, aut *Erotionti*.

-atque huic amicæ detulisti Erotio.

Et genitiuus datiuo respõdens fuerit *Erotij*,

nō *Erotionis*, aut *Erotiōtis*. Sed *Erotiū*(dicēt fortasse qui suo tam crasso errori patrocinari volent) non *Erotion*, apud Plautum scriptum est. Hoc fateor: sed siue terminatione Græca, siue Latina vtaris, eadem manet declinatio. Sic certè & alia apud eundem comicum syllaba V M potius quàm O N finiuntur: & apud Terētium itidem Glycerium potius quàm Glycerion, & Phanium quàm Phanion: licet apud eundem Philotion nō Philotium habeāt illa ipsa exemplaria quæ Glycerium & Phanium habent. Ecquod verò tam crasso errori patrocinium inueniri potest? Primùm, si dicant se ex isto versu, *Adhuc recenti tepet Erotion busto*, colligere non potuisse, an per o, an per ω scriberetur: at ex hoc altero colligere potuerunt,

Pallida nec nigras horrescat Erotion vmbras.

Et ex quodam alio, vbi itidem tres postremæ huius nominis syllabę dactylū efficiūt: quum tamen eundem ibi quoque in declinatione errorē admiserint. Deinde quum de puella loqui viderent, quomodo declinationem eius nomini accōmodare volebant, quam virorum nominibus peculiarem esse ne pueri quidam ignorant? Nec verò tā multa de hoc errore verba fecissem,

(interim tamen de diminutiuis non inutilia lectori, vt ſpero, futura diſſerens) niſi recentes quoque Martialis editiones, ſplendidiſſimis alioqui titulis ornatas, eodem fœdatas eſſe viderem.

DECLINATIO impariſyllaba tribuitur nomini cui pariſyllaba conuenit, in præcedenti exẽplo (vt cætera quæ circa illud idem peccantur omittam) at in eo quod nunc proponam, pariſyllaba contrà eidatur cui impariſyllaba dãda erat. Quidam enim nomini *Bias* genitiuum dedit non *Biantis*, ſed *Biæ*. *Auſonius* (inquit) *in Biæ ſententiis*. At ſi redeat Auſonius, neget ſe Biæ ſentẽtias ſcripſiſſe. Craſſus certè ſimúlque grauis hicquoque eſt error, & qui ſi cum proximè præcedente conferatur, vix ſciri poſſit vter alteri præponderet.

Nec minore errore Italus quidam poeta *Adoni* in dandi caſu protulit ἰσοσυλλάβως, pro *Adonidi* ἀνισοσυλλάβως: in hoc ſuo verſu,

Dum Venus extincto flens oſcula figit Adoni.

Sic & in gignendi caſu, *Adonis* pro *Adonidis* proferre non dubitaſſet: quippe qui eodem modo *Ianthis* pro *Ianthidis* in hoc ſuo verſu dixerit,

Lux mea luce meæ caræ depēdet Ianthis. Fortasse tamen tolerabilior genitiuus hic quàm ille datiuus iudicetur: sed ego ne hoc quidem vti velim.

Idem erroris genus cōmittitur & in ablatiuo. vt *De Adoni, De Ianthi:* pro *De Adonide, De Ianthide.* Sic Erasmus, *De clemati AEgyptia,* pro *De clematide AEgyptia.*

Vereor autem ne peccare dicendi sint (& quidem planè contrario modo) ii quoque qui *Adonidem, Paridē, Daphnidem, Alexidem, Theognidem, Hyagnidem, Eupolidem,* (vt cætera id genus omittam) dicunt, non autem *Adonin, Parin, Daphnin, Alexin, Theognin, Hyagnin, Eupolin.* Sed vereor vicissim ne, si reprehendendos dixerim qui his accusatiuis vtuntur, nonnulli ex doctioribus quoq; in me insurgāt: ideóque meam de hac re sententiam suspendam, & eos mecum ad hanc grammaticā disquisitionem vocabo. Sed ita suspendam, vt interim multo tutius esse affirmem, Adonin, Parin, & cætera itidem ἰσοσυλλάϐως efferre. Annon verò mirum hoc est, siquis *Phalaridem* dixerit, nouus hic & insolens multorum auribus sonus accidet: ab accusatiuo autem Paridem tantum abest vt abhòrreant, vt siquis rectè dici neget, non solùm noua sed stulta

etiam fortassis hæc reprehensio eorum iudicio futura sit. Quid? ánnō genitiuus est Paridis? dicent. Fateor: sed & Phalaridis genitiuus est nominis Phalaris: & tamen Phalaridē respuere videtur aures. Sic & reliquorū quæ dixi genitiui in DIS desinunt, vix tamē (ac ne vix quidē fortassis) eorū accusatiuū in DEM reperias apud vllū ex iis scriptoribus, quorum testimonium ἀξιόπιστον habendum est. Age verò (addēt iidem) quum Ἀδώνιδα, Πάριδα, Δάφνιδα, Ἀλέξιδα, Θύρσιδα, Θεόγνιδα, Ὑάγνιδα, Εὔπολιδα, Στράτιδα, Τοξάριδα, Βούσιριδα, Ὄσιριδα dicant Græci, quidni Latina terminatione hæc ipsa nomina vestientes, Adonidē, Paridē, Daphnidem, Alexidem, Thyrsidem, Theognidem, Hyagnidem, Eupolidem, Stratidem, Toxaridem, Busiridem, Osiridem dicemus? Sed quicunq; hoc obiicient, sciāt se τὸ ζητούμενον ἁρπάζειν. Nam hoc quoque in dubium voco, an rectè Græci grammatici illos accusatiuos libris suis intulerint: quibus certè & accusatiuum Φαλάριδα, & quemuis alium id genus addi necesse erit. Potius certè accusatiuo parisyllabo contenti esse debebant, Ἄδωνιν, Πάριν, Δάφνιν, &c. Nā Ἄδωνιν quidem & Πάριν, passim, Ἀδώνιδα autem & Πάριδα, non item me legere memini.

quanuis Palladas Πάϱιδας Anthologiæ Epigr.lib.2,dixerit. Ac quum hoc ſaltem fatendum ſit,accuſatiui pariſyllabi in ιν,certiorē eſſe vſum quàm alterius, miror quoſdā grammaticos non huic ſed alteri priorem locū dediſſe: dicentes, Ἄδωνιδα, vel Ἄδωνιν: & Πάϱιδα,vel Πάϱιν. Equidem ſicut apud Græcos tam poetas quàm ſolutæ orationis ſcriptores,ita & apud Latinos ſæpe occurrit accuſatiuus Parin: alter autem niſi oculos meos ad hunc vſque diem fugerit,nunc certè memoriam meam fugit.Ideóque parum me mouet quidam locus epiſtolæ ad Octauium, quæ Ciceroni olim adſcripta falſò fuit. nō ſolùm enim dubia eſt eius qui eam ſcripſit autoritas(quum illa declamatorium quiddam habeat) ſed ne de fide quidem exemplarium conſtat. Pluralem autem illum accuſatiuum,quem Anthologię epigr.lib.2, extare dixi, ſi grammatici arripiant, vt eum mihi opponant: primùm reſpondebo id eſſe, aduerſarium ipſum iudicem conſtituere. Conſtat enim Palladam eſſe ex illorum numero aduerſus quos hæc ſuſcepta eſt diſputatio: id eſt, eſſe grammaticum. Deinde quæri poteſt an aliter in plurali dici potuerit quàm Πάϱιδας. quòd ſi etiā dici aliter potuerit,videndum an eiuſmodi ſono qui tam

bene versum impleret.

Et quoniam in lubrico me versari loco non ignoro, ne ipsemet labar, in eo quòd talem de aliorum lapsu opinionem conceperim: non negabo posse illius accusatiui exemplum alicubi inueniri, licet (vt à me paulo antè dictum est) vel oculos meos adhuc fugerit, vel certè memoriam nunc fugiat. Eo tamen vsque progrediar, vt dicam multo tutius & certius esse accusatiuis, Ἄδωνιν, Δάφνιν, Πάριν, cæterísque itidem vti, quàm Ἀδώνιδα, Δάφνιδα, Πάριδα dicere.

Quòd si quis me roget cur accusatiuus iste in ΙΔΑ in vsu non fuerit, aut certè multo minus, quum tamen analogiæ consentaneus esse videatur: possim quidem hãc quæstionem, vt quam minimè soluere cogar, procul reiicere: possim etiam eam nec reiiciendo, nec soluendo omnino, dicere Atticis itidem terminationem in ΔΑ minus placuisse, quum Οἰδίπουν maluerunt quàm Οἰδίποδα dicere, vt quidã tradunt: sed quod lectori magis satisfaciat, afferre posse mihi videor. Suspicor enim alteram illam terminationem in ΙΔΑ Græcos fœmininis nominibus propriis integram maluisse relinquere, dicentes, Θέτιδα, Δώριδα, Φύλλιδα, Ἀμαρύλλιδα, Φιλαίνιδα, Θαΐδα: sicut & apud

Maronem Phyllida & Amaryllida nomina mulierũ esse videmus: & Latinè Phyllidem quoq; & Amaryllidẽ dici posse, sicut Thetidem, Doridem, Philęnidem, certissimũ est. Neque tamen alteram terminationẽ à quibusdã quæ sunt huius ordinis exclusã fuisse dico: quum Θέτιν frequẽter, apud poetas præsertim, occurrat: & Ἶσιν magno in vsu esse sciamus. Atque hoc tandẽ est quod hac de re suspicari possum. Faciet quidem certè mea hæc suspicio, qualiscunque est, vt non facilè vlla aduersus illam meam obseruationem testimonia, nisi extra omnem reprehensionis aleam posita, admittam: præsertim quum nõnulli vtriusque linguæ scriptores in quibusdam peccasse existimentur quę non tam curiosa obseruatione opus habuisse videntur.

IN DECLINATIONE peccasse arbitror quendam magni nominis virũ, quũ, versu ita poscente, *Calypsona* ausus est dicere. Certè si *Calypsonem* dixisset, ita illam declinationẽ tueri potuisset, vt respõderet se voluisse ἀρχαΐζειν. Priscis enim Latinis hũc accusatiuũ Calypsonem in vsu fuisse ex Fabio discimus. *Mihi autem* (inquit, lib. 1) *placet Latinam rationem sequi quousque patitur decor. Neq; enim iã Calypsonem dixerim,*

vt Iunonem. quanquam ſequutus antiquos C. Cæſar vtitur hac ratione declinandi. ſed autoritatem conſuetudo ſuperauit. In cæteris quæ poterunt vtroque modo non indecenter efferri, qui Græcam figuram ſequi malet, non Latinè quidem, ſed citra reprehenſionem loquetur. Si igitur & ille Calypſonem dixiſſet, ἀρχαϊσμὸν ſibi, ſicut & C. Cæſari placuiſſe, reſpondere potuiſſet, declinando Calypſo, eodem modo quo Iuno. Nunc verò quomodo Calypſona efferre potuit, vtens Græco accuſatiuo cui nullus nominatiuꝰ ἀνάλογος reperitur? Is enim fuerit Καλυψών. quod vocabulum nondum fando auditum eſſe puto, nihilo magis quàm Διδὼν, Σαπφὼν, Κλωθών, Κλειὼν, pro Διδὼ, Σαπφὼ, Κλωθὼ, Κλειώ. Nam Athona quidem legimus, ſed tanquam ab Ἄθων. vt omittam, nec alterum eius nominatiuũ, qui paſſim vſitatus eſt, in ω, ſed in ως, terminationẽ ſuam habere. Iam verò vt ille Calypſona auſus eſt dicere, Græco quidem accuſatiuo, ſed cui ἀνάλογος nominatiuus nõ extat, ita quidam viciſſim Græcum nominatiuum Latinæ voci affingẽs dixit *Iunon*. Sed futurum credidit fortaſſis vt Echo (quæ itidem Echõ ab eo dici potuit) hunc nominatiuũ excuſaret. Eius enim ſono vt ſeruiretur, dictum fuit

Iunon,

Iunon, hoc in versu,

Dic, dea te tenet hoc inclusam marmore Iunon?

Respōdens enim Echo vtitur particula *Nō*, quæ non itidem locum habuisset post nominatiuum *Iuno*. Hoc tamen est lingua Græca nō vti, sed abuti: vel potius linguam Græcam ludos facere.

Nonnulli verò, & ii quidem non pauci, ablatiuos illorum Græcorum nominum in ω terminatorū, similes nominatiuo in Latina lingua faciūt: *Sappho* in ablatiuo dicentes: vt *Autore Sappho:* Sic *Clio, Erato.* vt, *Herodotus in Clio commemorat:* vel *in Erato.* Atqui *Sapphone, Clione, Eratone* dicēdum est, eodē modo quo diceretur Didone ἀναλόγως genitiuo Didonis. *Antiquißimi tamen* (inquit Priscianus) *& Græca in o productam desinentia per hanc declinationem proferebant: vt Sappho, Sapphonis, Dido, Didonis,* Idémque & alii testantur, ex quibus est Fabius, in loco quem paulo antè attuli: sed ita vt ea vti nolit. Atqui nō video à qua alia declinatione & datiuum & ablatiuum sumere possimus. nam Græca suppeditat quidem nobis genitiuum Didus, Sapphus: & accusatiuum Dido (pro quo & Didun à priscis quibusdam dictum fuit) Sappho: sicut &

vocatiuũ: sed non itidem datiuum & ablatiuum suppeditare nobis potest.

At de illo qui *baltea* ausus est scribere, quid dicemus? Nónne multo etiam magis Græca lingua eum abuti, eámque ludificari? Horresco referens,

Baltea Priamides, rigidũ Telamonius ense,
Instrumenta suæ vidit vterque necis.

Quibus versibus exprimuntur hi Græci, ex Anthol. epigr. lib. 3,

Ἕκτωρ γὰρ ζωστῆρα λαβὼν, ξίφος ἔμπαλι δῶκεν.
Τὴν δὲ χάριν δώρων πείρασαν ἐν θανάτῳ.

Nempe vt *baltea* quis probare possit, sicut Orphea, persuadendum ei est βαλτεὺς Græcum esse sicut ὀρφεύς. At cui persuaderi tandem hoc poterit? Atque in alio certè multo minus talẽ abusum mirari deberem⁹ quàm in eo à quo profectus est: quippe qui cõtrà, quum non solùm legum, sed Græcæ etiam linguæ & peritus & amator esset, legitimi vsus huius assertor vindéxq; esse debuerit. Profectus est enim ab Andrea Alciato, cuius lucubrationibus quãtum & iuris scientia & literæ humaniores debeãt, neminem latet. Ideóque lubenter eius nomini pepercissem (sicut aliorum multorum nominibus parco) sed è re lectorũ esse putaui, nosse talem

à tanto viro errorem esse commissum, vt eo cautiores redderentur. Placuit autem & Græcum quē interpretatus est versum proferre (præterquam quòd aliunde quoque notissima est hæc historia) vt siquod ex pluralis vsu effugium quæreretur, id præcluderetur. Siquis enim, quum hoc ita sit, eum hîc plurali pro singulari vsum esse contenderet (quoniam hoc nomen in plurali numero è genere masculino ad neutrū transit, vt in quibusdam Græcis idem fieri videmus) eum excusare volendo, grauius accusaret. quoniam hominis esset planè iudicio carētis, pluralem pro singulari eiusmodi in loco vsurpare, & ignorātis vbi poetæ id sibi permittant. Alius verò quidam *balteon* dixit (nimirum Vrsinus Velius, multis meo iudicio poetis anteferendus, quibus postponitur) hoc in versu,

Balteon abripui, Thracísq; armēta cecidi.

Sed ne hunc quidem accusatiuum linguæ Latinæ leges admittunt, quum vox ista Latina sit, non Græca. Nam si Balteos Græcè diceretur, tum certè liberum esset vel Balteon, terminationem Græcam retinendo, vel Balteum, tanquam à nominatiuo Latino Balteus, dicere: at quum Latinū prorsus esse vocabulum non ignoraret, mirum

eſt eũ terminatione Græca veſtire illud auſum fuiſſe. Neque tamen ſi Græcum eſſet nomen illud, protinus & *baltea* cum Alciato & *balteon* cum Vrſino Velio dicere fas eſſet: quanuis Naſo & *Orphea* & *Orpheon* dixerit. Nam Orphea quidem dixit tanquam ab Orphεύs, analogiam ſequẽs, at Orpheõ non item: in poematio in Ibin,

Diripiántq; tuos inſanis vnguibus artus
Strymoniæ matres, Orpheon eſſe ratæ.

Sed nimirum quemadmodũ Latini quum Orpheũ dicunt, terminatione Latina Græcum verbum veſtiunt, ita viciſſim illam terminationem in EVM Latinam mutare Naſonẽ voluiſſe arbitror in Gręcam EON: ídque tamen non tanquam nulla licentia vtentem: vtpote non habita ratione declinationis quæ diuerſa eſſet ab ea in qua id fieri ſoleret. Sic autẽ Pentheon, Peleon, Theſeon, pro Penthea, Pelea, Theſea, dici poſſet.

IN PATRONYMICIS nominibus ſicut occultior, ita etiam venia dignior eſſe videtur error. quum videlicet à nominatiuis, cuiuſmodi ſunt hi, *Anchiſiades*, *Laertiades*, *Pheretiades*, *item Pelides*, *Atrides*, *Alcides*, fiũt genitiui *Anchiſiadis*, *Laertiadis* &c. *pro Anchiſiadæ*, *Laertiadæ*. Sed in tribus illis prioribus & aliis itidem in IADES deſi-

nentibus plures quàm in cæteris labi animaduerti. Atque illi me quoque in errorem traxerant (neque enim & ipse meũ hîc peccatum fateri erubescã) quum in epigrãmate præfigẽdo editioni qua primus Anacreontis versuum reliquias luce donaui, scripsissem,

--hoc constat, cantibus istis
Sæpe Pheratiadis personuisse domum.

At verò primitiua, *Anchises, Laertes, Orestes, Thyestes, Acestes*, habent quidem genitiuos in AE itidem, *Anchisæ, Laertæ, Thyestæ, Acestæ:* sed ita vt altera quoque in IS terminatio defendi exemplis possit, sicut & datiuus in I. Virgilium quidem certè genitiuo Anchisæ passim vti videmus, itidémque Acestæ proferre, necnon Achatæ. Eodémque modo Thyestæ & Orestæ apud alios occurrunt. Sed Thyestis quoque & Orestis (sicut Priscianus Acestis quoque & Anchisis posse dici tradit) in vsu aliquo esse videmus. Naso quidem certè (siqua eius exemplaribus fides) Orestis itidémque Oresti lubentius quàm Orestæ dixit.

E DECLINATIONE autem prima haud scio an rectè ad secundam transferantur quædam eorum quæ ex verbo ἄρχω per compositionem facta sunt. vt *Tetrarchus* pro *Tetrarcha:* & *Patriarchus*, pro *Patriar-*

cha. Fateor enim Trierarchus apud Ciceronem legi: sed respõdeo esse à Græco τριήραρχος. quo etiam modo efferuntur alia. Neque sum nescius quædam vtranque terminationem habere, vt ἑκατόνταρχος & ἑκατοντάρχης. atque adeò non illud τριήραρχος solùm, sed etiã τριηράρχης inueniri. Verùm quũ vsus hac in re dominetur, nec omnia vtranque terminationem habere comperiantur, nemini autor fuerim vt nouè *Tetrarchus* pro *Tetrarcha* & *Patriarchus* pro *Patriarcha* dicat, donec itidem in τέτραρχος & πατρίαρχος, pro τετράρχης & πατριάρχης, habeat quos sequatur. Sed & tum quoque fortassis auribus consulendum esset, quas interdum huiusmodi nouitas minimè necessaria offendit. Verùm alio plerique sunt ingenio præditi, qui ex aliqua sermonis nouitate dũ gloriolam captant, prҫterquam quòd auribus sunt graues, risum etiam potius quàm laudem vllam mereri iudicantur.

CONTRA è secunda ad primam quædam perperam transferri animaduerti, simul etiam mutato genere: & quidem in iis quæ alioqui vtraque declinatione & vtroque genere, sed diuersa significatione, efferuntur. Ex iis est vocabulum hoc seculo fictum, sed omnium consensu receptum, *ty-*

pographia. Hac enim voce abuti illos dico qui typographicā officinā ea declarare volūt, & *typographeū*, τυπογραφεῖον, debere dici.

QVENDAM præterea circa declinationem errorem obſeruaui, pręcedentibus minimè ſimilem, & qui fortaſſe in terminatione potius conſiſtere dicendus ſit. vbi nimirum pro nominatiuo declinationis Græcæ ponitur nominatiuus declinationis Latinæ (id eſt, declinationi Latinæ cōueniens) in quopiam Græco nomine. vt *Phileta* pro *Philetas*. Cuiuſmodi lapſus Eraſmo familiares ſunt. Neque enim eum conſultò hūc ἀρχαϊσμὸν affectaſſe putandum eſt, vt Phileta, ſicut poeta, pro Philetas, & alia nonnulla itidem diceret. Cuius archaiſmi cum alii meminerunt, tum verò Fabius. Viciſſim autem genitiuos *Antiphontis* & *Demiphontis* exiſtimari occupaſſe declinationem Græcam pro Latina, docebo in capite de terminatione.

PECCATVM præcedenti planè contrariū admittūt, qui nominibus propriis tertiæ declinationis pro o ſolo dant ON, more Græco, in vltima ſyllaba. id eſt, qui *Dion* pro *Dio*, *Phocion* pro *Phocio*, & alia itidem ſcribunt. Verùm de hoc fuſius à me diſſeretur in capite de terminatione.



De quibusdam nominibus Græcis in quorum numero erratur. CAP. III.

DVORVM nominũ in superioribus memini, in quibus circa numerum, genus & declinationem, erratur: sed ita vt præcipuus sit primus ille error. Ea nomina sunt *Biblia* & *Chronica*: quæ quanuis in vulgi tantùm ore esse putentur, non dubium est tamen quin & aliis excidant qui minimè in ordine illo ponendi sunt, ob Græci sermonis ignorationem. Lingua certè Gallica vtrunque erratum fouet, dum ipsa itidem dicit *la Bible*, & *la Chronique*: alioqui hoc posterius interdum & in plurali efferens. Quanuis autem eodem in vtroque peccetur modo, non eiusdem tamen sunt naturę. Nam χρονικὰ nomẽ est adiectiuum, cum quo subaudiendum est aliquod substantiuum, nimirũ συγγράμματα, aut aliud huiusmodi. Sed ex iis est adiectiuis quæ substantiuorum locum obtinere videtur, dum substantiuum omittitur. veluti quum dicitur χειρόγραφον, vel αὐτόγραφον. hæc enim quum pro substantiuis haberi possint, accedente tamẽ substãtiuo nomine γράμμα,

aut eiuſmodi quopiam, ſuã adiectiuorum naturam reſumunt. Alterum autem nomen βιβλία ſubſtantiuum eſt, nihilque cum eo ſubaudiendum relinquitur: ſed quæ continent Chriſtianis traditam doctrinam ſcripta, κατ᾽ ἐξοχὴν appellãtur βιβλία, id eſt Libri. vel potius τὰ βιβλία, perinde ac ſi diceretur τὰ ἅγια βιβλία, vel τὰ ἱερὰ βιβλία. Sunt verò & qui vocẽt τὰ τῶν ἱερῶν γραφῶν βιβλία. Eodémq; modo γραφὴ vel γραφαὶ de iiſdẽ dicitur, pro ἁγία vel ἱερὰ γραφὴ, & ἅγιαι vel ἱεραὶ γραφαί. Quinetiam compoſita voce ἁγιόγραφα dicta fuerunt illa ſcripta, ſubaudiendo vel βιβλία vel συγγράμματα. Atque hæc in eorum gratiam qui Græcæ linguæ ſunt rudes, à me dicta putentur: ne in hoc meo libello nihil ſibi peculiare habere queri poſſint.

VT AVTEM nunc ad eos quoque qui Græci ſermonis peritiam conſequuti ſunt, ſermonem cõuertam, eos mecum perpendere velim ánnon Latinæ linguæ ſcriptores plurali numero in neutro genere vti maluerint vbi nos ſingulari in fœminino potius vtimur. id eſt, ánnon ſæpe *grammatica* (τὰ γραμματικά) *rhetorica* (τὰ ῥητορικά) *dialectica* (τὰ διαλεκτικά) *phyſica* (τὰ φυσικά) *dixerint, vbi nos grammatice, rhetorice, dia-*

lectice, physice, dicimus: quidam verò & per a, *grammatica, rhetorica, dialectica, physica*, nimirum declinantes, *grammatica, grammaticæ*: pro *grammatice, grammatices*: itidémque in cæteris. Cic. De oratore, lib. 2, *Omnia fere quæ sunt conclusa nunc artibus, dispersa & dißipata quondam fuerunt: vt in musicis, numeri, & voces, & modi: in geometria, lineamenta, formæ, interualla, magnitudines: in astrologia, cæli cõuersio, ortus, obitus motúsque siderum: in grammaticis, poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidã sonus*. Hîc videmus Ciceronem maluisse dicere neutro plurali *grammaticis* & *musicis* quàm grammatice & musice, seu grammatica & musica. Sic & Terentius Eunucho,

-Fac periculum in literis,
Fac in palæstra, in musicis.

Physica quoque eodem modo Cicero dixit, in Oratore, *Ne physicorum quidem ignarum oratorem esse volo*. Idem De finibus lib. 1, *In physicis, quibus maximè gloriatur, totus est alienus Epicurus*. Fabius certè *grammaticis* eodem modo quo Cicero, dixisse videtur lib. 1, cap. 5, in ipso initio, *Primus in eo qui legendi scribendíque adeptus erit facultatem, grammaticis est locus*. Solet tamen ita expo-

ni locus ille quasi *grammaticis* sit à nominatiuo grammatici, vt de iis intelligatur qui docent grãmatica: τὰ γραμματικά. Et quod sequitur, *Nec refert, de Græco an de Latino loquar. quanquam Græcum esse priorem placet:* de grammatico itidem intelligunt: quasi à plurali ad singularem transeat: at ego de sermone Græco & Latino loqui eum crediderim. Nimirum Gręci quoque τὰ γραμματικὰ, τὰ ῥητορικὰ, τὰ διαλεκτικὰ, τὰ φυσικὰ, τὰ μουσικὰ, lubenter dicebant. Agathias Anthol. Epigr. lib. 2,

Γητήρ τις ἐμοὶ τὸν ἑὸν φίλον υἱὸν ἔπεμψεν,
Ὥστε μαθεῖν παρ' ἐμοὶ ταῦτα τὰ γραμματικά.

Neque tamen hæc ita dico quasi & nominibus Grammatice, Rhetorice, Dialectice, aliísque huiusmodi nullus sit apud Latinos locus: vel adiectiuis adiunctum habẽtibus substantiuum (appellando videlicet artem grammaticam, artem rhetoricam, artẽ dialecticam) sed vt admoniti à me lectores, eum quem dixi pluralis adiectiui in neutro genere vsum obseruent.



De nominibus Græcis in quorum terminatione erratur. CAP. IIII.

PROXIME præcedente capite, quo agitur de declinatione, includere ea noluí nomina in quorum terminatione tantùm peccatur, ſine vlla declinationis mutatione: ſed hunc in locum reſeruanda exiſtimaui. Nunc igitur de hoc quoque monendi ſunt mihi lectores, quum omnium propemodũ cõſenſu dicatur & ſcribatur, *Dion*, *Phocion*, *Bion*, *Matron*, *Acron*, *Thymoleon*, (vel *Timoleon*, aliud ſequendo etymum) videri tamen ſcribendũ *Dio*, *Phocio*, *Bio*, *Matro*, *Acro*, *Thymoleo*, itidémque in cæteris huiuſmodi. Quid dico, videri ſcribendum? Imò verò hanc eſſe veram & genuinã apud Latinos terminationem, tam certum eſſe puto, quàm alteram illam, eſſe Græcorum conſtat. Iampridem certè Fabius tradidit, vt Palæmo, ſic quoque Telamo & Plato Latinè dici, veteribus placuiſſe, lib. 1, cap. 5. Vbi tamen aliud quoque ab iiſdem receptum fuiſſe in Græcarum vocum vſu tradit, quod non item locũ habere poſſe (quoniam iam tũ obſoleuerat) fateor. Eius verba

ſunt hæc, *Quinetiam laudet virtutē eorum qui potentiorē facere linguam Latinam ſtudebant, nec alienis egere inſtitutis fatebantur. Inde Caſtôrem media ſyllaba producta pronuntiarunt: quia hoc noſtris nominibus accidebat, quorum prima poſitio in eaſdem quas Caſtor literas exit. Et vt Palæmo, ſic Telamo & Plato (nam ſic eum Cicero quoque appellat) dicerētur, retinuerunt: quia Latinū quod o & n literis finiretur, non reperiebant.* Neq; interim inficior, colligi ex hoc Fabii loco, fuiſſe quibus terminationem Grȩcam retinere placeret. Ac quanuis in eodem ordine duo illa ponere videatur, minimè tamen exiſtimandum eſt ab eo ſimul referri tanquam eadem ſit vtriuſque ratio, ſed tantùm vt eodem pertinentia: quòd nimirum vtroque pariter declaretur illorum ſtudium linguam Latinā potentiorē efficiēdi. Nam Ciceronē quoque nominatiuo Plato fuiſſe vſum ipſemet teſtatur: at verò *Caſtôrem* aut *Neſtôrem, Hectôrem* media ſyllaba producta; tantum abeſt vt apud Ciceronē aut alium quempiam eiuſdem ſeculi reperiamus, vt à Varrone etiam hanc pronuntiationem pro obſoleta haberi videamus. Eius enim meminit lib IX, De lingua Latina, *Hæc primò omnes qui ſoluta oratione loquun-*

tur, dicebant, vt Quæstorē, Prætorem, sic Hectorem, Nestorem. Itaq; Ennius &c. Idem lib. VII, *Item secundum illorum rationem debemus secundis syllabis lōgis dicere Hectorem, Nestorem. est enim vt Quæstor, Prætor, Nestor, Hector.* Equidē recentiores Græci par pari priscis Latinis hac in re dici possunt retulisse. Quemadmodum enim veteres Latini nolebant quicquam priuilegii nominibus Græcis in pronuntiatione & scriptura tribuere, sed sicut eodem modo quo Latina declinabantur, sic etiam similiter pronuntiari & scribi: ita postremi temporis Græci quum Latina nomina, etiā appellatiua, suis immiscerent, id ita faciebant vt in iis scribēdis, suorum, id est Græcorum, consuetudini seruirent: adeò vt non κοιαίστωρα sed κοιαίστορα scribere solerēt. Quanuis enim in Iustiniani Nouellis κοιαίστωρα & πραίτωρα mea editio habeat, & μοδεράτωρα, aliáque nonnulla itidem: κοιαίστορα tamen in multis manuscriptis, & πραίτορα, item κουράτορα & μοδεράτορα, extare sciendum est. Sic ἐμανκιπατιόνος & ἀκτιόνας, Nouella LXXXI. Eodē modo in Cōstitutionibus nuper à me editis in libro qui Iuris orientalis nomen præfert, προκουράτορες non προκουράτωρες, habet exemplar accuratissimè

alioqui ſcriptum: ὁμοίως ἤρεσεν ἵνα ἐπίσκοποι καὶ πρεσβύτεροι καὶ διάκονοι, ἐκλήπτορες μὴ γίνωνται, ἢ προκουράτορες. Hac igitur in ſcriptura par pari Latinis illis refertur, vti dixi.

Verùm vt ad nominatiuos illos, id eſt ad illam nominatiuorum terminationem, redeam, in o, non in ON: illam potius quàm hanc, multis ſcriptoribus Latinis, qui priſcis poſteriores fuerunt, placuiſſe videremus, ſi eorum αὐτόγραφα haberemus. Atque hoc magis etiam perſuaſum quàm antea habui ex quo in quandam AEmylii Probi editionem typographicam incidi, quæ ante multos annos prodiit. In ea enim ita ſcripta eiuſmodi nomina inueni. Chariſius quoque, inter grammaticos non poſtremus, talem terminationem non aliter quàm controuerſia carentem affert: idémque declinationē Latinā in iis magis probat, vt aliquanto pòſt docebo. Apud illum certè legimus itidem Memno & Sino, non Memnon & Sinon. Eſt tamen bis in hoc ipſo nomine terminatione iſta vſus Maro, cogente etiā metri lege. At verò Antipho & Demipho, quæ apud eundē grāmaticum inueniuntur, minus aurib⁹ noſtris eſſe noua debēt, vel ob talem Terentii vſum. Apud eū enim Antipho & Demipho, & Cteſipho (ſicut Crito,

Simo) nõ Antiphon & Demiphon & Ctesiphon legi, nemo est qui meminisse non possit. His autem simile esset Xenopho, sed nescio quomodo maior quædam in hoc nomine esse videtur terminationis insolentia, & à qua aures magis abhorreant. Atque adeo nec Antipho sed Antiphon apud Fabium extat, verùm valde dubia exemplarium fide. Quæri autem potest an Latinorũ scriptorum auribus nescio quid scrupuli, sicut & nostris, hæc terminatio in certis, quibusdam nominibus Græcis iniiceret: vt Parmeno quidem (exempli gratia) Thraso, Gnatho, & alia quædam audacter diceret: at verò Agamemno & Iaso aliáq; nõnulla vix dicere auderent. Ego certè aliud omnino sentio, nimirum eos qui terminationẽ Latinam Græcæ præferebant, ea in quibuslibet vsos fuisse. Nam ad Agamemno quod attinet, cur de eo dubitemus, quum Memno apud Charisium habere nos docuerim? Atque vt ab hoc composito ad aliud veniam, quid hoc sibi vult, quum Leo dicamus, non Leon, tamen Thymoleo non dicere, sed Thymoleon? Quòd si & simplex cum simplici conferre oportet, cur Parmeno quidem nemo reiiciet, at Parmenio respuetur? Quòd si Parmenio admittetur, cur Philistio,

ſtio, Hephæſtio, non magis nobis placebunt quàm Græcam terminationem in Latino ſermone retinentia, Philiſtion & Hephæſtion?

Quod autem videmus poetas illa terminatione Græca libenter vti, primùm quidẽ inde fieri videtur quòd interdum ne ſtare quidem eorũ verſus ſine eius auxilio poſſit: (vt de nomine Sinon apud Maronem paulo antè dixi) deinde verò & quòd retinendi in talibus ſermonis Græci maius illis ſtudium quàm ſolutæ orationis ſcriptoribus fuerit. Apud eos enim legimus genitiuum Androgeω, pro Androgei: item genitiuum Daphnidos pro Daphnidis, ſi Valerio Probo credimus, hanc eſſe germanam lectionem dicenti in iſto Maronis verſu,

Aut hîc ad veteres fagos, quũ Daphnidos arcum Fregiſti.

Datiuum item: vt Orphei pro Orpheo,

Orphei Calliopea, Lino formoſus Apollo.

Accuſatiuum autem Græcum multo etiam frequentius, Orphea, & huic ſimiles, Theſea, Penthea, Euryſthea. Quod etiam magis mirari quis debeat, in iis quoq; locis aliquando quibus Latinus adhiberi poterat: vt hîc, *Nec tantùm Rhodope miratur & Iſmarus Orphea*. Non minus enim Latinum

quàm Græcum accusatiuum admittere versus poterat. Neque verò huiusmodi tãtùm accusatiuos à Grecis mutuati sunt (qui certè ne solutæ quidẽ orationi prorsus ignoti fuerunt: quum Periclea, apud Fabiũ, Idomenea & Pythoclea apud Senecam legamus: atque adeò se Piræea dixisse fateatur Cicero, cuius locum afferam vbi de vocis huius scriptura disseram) sed & aliarum declinationum: veluti quũ Phyllida & Amaryllida, pro Phyllidem & Amaryllidem, quum Amathunta pro Amathuntẽ dixerunt. Quòd si cũ Valerio Probo nõ solùm Daphnidos pro Daphnidis, sed etiã Ismaros pro Ismarus, & Mnasylos pro Mnasylus, aliáque itidẽ terminatione Græca apud Maronẽ legamus, multo etiã maiora illius studii quod dixi testimonia habebimus. Quæ quum ita sint, non est quòd quisquã iis quæ à me de terminatione illa nominũ, Dio, Bio, Phocio, & similium, dicta fuerunt, poetarum autoritatem opponat. Quibus verbis huic quæstioni finem imponẽdum esse censeo, vt de genitiui declinatione, sicut pollicitus sum, disserã.

De genitiui igitur declinatione dicturus, à Charisii verbis initium sumam. *Antipho quoque & Demipho similiter declinantur, Huius Antiphonis, Demiphonis: non, vt qui-*

dam, Antiphontis & Demiphontis, Græcâ declinatione. Hæc ille: cui assentitur passim Terentius, & quidem nõ in certis quibusdã editionibus dũtaxat, verùm in quibuslibet. Eodémque modo Ctesiphonem nõ Ctesiphõtem dicere solet. Et tamẽ siquis hodie dicat scriptã esse à Demosthene orationẽ pro Ctesiphone, attoniti hęrebũt multi qui hoc audient: & erunt fortasse qui Κτησιφῶντα significari, vix persuadere sibi poterũt. Atque adeò Cicero ipse in libello De optimo genere oratorum, Ctesiphontis, Ctesiphontem, Ctesiphonte, nõ, Ctesiphonis, Ctesiphonẽ, Ctesiphone, scribit. Sic etiam Xenophõtem dicit: at Terentius Xenophonem dixisset. dicendũ certè ei hoc non illud fuisset, si cõstare sibi voluisset. Vter igitur sequendus nobis erit? Vtrumuis sequamur, nullam nos Latinitati iniuriã facturos puto: sed in comœdia Ctesiphonẽ, sicut Antiphonẽ & Demiphonem, dicẽdum potius censeo, quàm Græca declinatione Ctesiphontem, Antiphontem & Demiphontem. Videntur enim comici nõ veteres tantùm sed etiam qui illis successerunt, quanuis lubẽter Græca vocabula vsurparent, diligenter tamen cauere voluisse ne Latinæ linguæ quicquam de suo iure (vt ita dicam) decederet, in iis Græcis quæ ad

illius vſum & conſuetudinem conformari poterant. Qua de re aliquid & in ſequentibus dicendum erit.

QVVM autem terminationẽ Latinam Græcæ præferẽdam in nominibus illis cenſuerim de quibus modò dictum fuit, nunc contrà in quibuſdam illam huic malè præferri docebo. Atque incipiam ab illo *Phileta* cuius antea mentionem feci. Non dubito enim quin *Phileta* dictum ſit, aut ignoratione aut obliuione Græcæ ſcripturæ, perinde videlicet acſi non Φιλήτας ſed Φιλήτης ſcriberetur: vt Αἰήτης. Nam vt ab Αἰήτης dicitur Latinè AEeta, ſic à Φιλήτης non malè diceretur Phileta. Exemplum autem lectori affero quo cautior in aliis maioris momenti, quæ occurrere poſſent, reddatur. Sed quoniam ſcimus priſcos ſcriptores Latinos, vel potius quoſdam ex priſcis ſcriptoribus, quoduis nominum Græcorum genus in ſyllabam AS exeũtium voluiſſe litera A ſola finire, perinde iam de *Phileta* loquar acſi pro *Philetas* conſultò ſcriptum eſſet. Phileta igitur in nominandi caſu diceretur quidem vt poeta: ſed hanc terminationem Fabium quoque pro obſoleta habuiſſe, ex his eius verbis diſcimus: *Ne in* A *quidem atque* S *literas exire temerè maſculina Græca no-*

mina recto casu patiebantur. Ideóque & apud Cœlium legimus, Pelia cincinnatus: & apud Messalam, Bene fecit Euthia. Et apud Ciceronem, Hermagora. Nec miremur quòd ab antiquorum plerisque AEnea & Anchisa sit dictus. Nam si vt Mæcenas, Suffenas, Asprenas, dicerentur, genitiuo casu non AE *litera, sed* TIS *syllaba terminarentur.* Hæc Fabius: à quo quæ afferuntur exempla priscæ declinationis, vel potius terminationis (quum declinatio in vtraque scriptura eadem maneat) suspecta minimè habeo: vno excepto. Nam quum Ciceronem Hermagora recto casu itidem scripsisse tradat, meritò fortasse hîc fides exemplarium quibus vsus est Fabius, aut certè eorum quibus vtimur, suspecta fuerit: quum Hermagoras in libris De inuentione ab eo nominetur, vt editiones typographicæ vno omnes consensu, quas quidem videre mihi contigit, necnon manuscripti codices, habent. Cur verò Hermagoras quidem dicere noluisset Cicero, at Pythagoras dicere non recusasset? Quamobrem vt priscos Latinos terminatione illa vsos concedam, at de Cicerone nequaquam id mihi persuaserim, sed eum sui seculi consuetudinem in hac terminatione sequutum fuisse crediderim. Fortassis

autem abolita fuit prisca illa terminatio, cũ aliis, tum verò hisce duabus de causis: vt genus masculinum à fœminino internosci posset, & Græca syllabæ quantitas vnà cum terminatione retineri. Qui enim non AEneas & Pelias, sed AEnea & Pelia dicere volet, vltimam corripiat oportet, eodem modo quo in Latinis nominibus corripitur. Neque potest qui terminatione illa in masculinis vtitur, discrimen inter ea & fœminina constituere. Comici tamen, suum illum morem seruantes de quo paulo antè verba feci, à Σωσίας, Πυῤῥίας, Γέτας, Δεμέας, Φαιδρίας, non *Sosias, Byrrhias, Getas, Demeas, Phædrias*, sed *Sosia, Byrrhia* (pro Pyrrhia) *Geta, Demea, Phædria*, scripserunt. At verò in AS desinẽtia, sunt illis fœminarum nomina: vt *Pythias* & *Dorias*. Sed comœdiam aliquid sibi peculiare habere sinamus, & eos qui alia poematum genera composuerunt, vnà cum solutæ orationis scriptoribus in altera terminatione imitemur: siue hæc illis quas attuli rationibus, siue aliis nitatur.

Verùm & de accusatiuo non immeritò quæstio mouebitur, si in huiusmodi nominibus Græcam in AS terminationem retineamus, an itidem accusatiuum syllaba AN non AM finire necesse sit. Equidem ne hanc

quidem in AM reiici posse dixerim: sic tamen vt qui in primo casu *Pelias* & *AEneas*, at in quarto *Peliam* & *AEneam* scribunt, fateri cogantur se parum sibi constare: quum *Peliam* & *AEneam* sint tanquam à *Pelia* & *AEnea*: vt *Pelian* & *AEnean*, à *Pelias* & *AEneas*. Ideóque non dubium est quin Peliam & AEneam (sicut Sosiam, Byrrhiam, Getam, Demeam, Phædriam) dicturi fuerint comici: at de iis qui terminatione altera nominatiuum efferebant, ἐπέχω. Et quoniam in versibus certa huius scripturæ indicia inuenire possumus, non item in soluta oratione, dicam quid apud Maronem obseruarim. Plurimi sunt in eius poemate loci in quibus lex versus AEnean poscit, AEneam omnino repudians: at ex multis in quibus AEneam litera M finitur, aut pauci sunt aut nulli fortasse qui & alteram scripturam sine vlla versus iniuria non admittãt, vtpote quum ecthlipsi literæ M minimè sit ei opus. Imò verò vbi eã postulat, tunc in adiuncto accusatiuo huic nomini, potiùs quàm in ipso, illam fieri animaduerti. vt,

Ingentem AEnean duxit, stratísq; locauit.

potius quàm *AEneam ingentem*, facta elisione in illo substantiuo. Sic alibi,

Indigetem AEneã scis ipsa & scire fateris
Deberi cælo. potius quàm *AEneam indigetem.*

In huiusmodi ergo locis non habemus vnde suspicemur, eum AEneam potius quàm AEnean scripsisse, litera N. Contrà verò vbi nisi cum hac terminatione stare versus nequit, eum illa vsum esse credamus necesse est. vt hîc,

Tum verò AEnean auersum vt cedere Turnus Credidit.

Sunt autem adeò multi qui hanc scripturam exigunt, vt in recentioribus quoque editionibus quæ alioqui id discrimen obseruare voluerunt, versus tamen nonnulli AEneam habeant, qui hanc scripturam nullo modo ferre possunt. Quę quidem nuper attentius consideraui quòd in animo haberem (vt nunc quoque habeo) ipsius Maronis poemata cum quibusdam in ea obseruationibus, meo typographeo committere. Fortassis autem & de accusatiuo nominis Anchises idem dicendum fuerit: ideóque miror cur in iisdem editionibus AEnean quidem cum N scriptum non sit nisi vbi mensura versus hanc scripturam postulat, at Anchisen, in iis etiam locis, vbi non

minus cum Anchiſem ſtare verſus poteſt, ſcripſerint.

VENIO ad *Penelopa*, *Semela*, & alia id genus, vt de hac quoque terminatione quod ſentio dicam. Primùm quidem non dubito quin priſci qui Pelia quàm Pelias dicere malebant, itidem *Penelopa* & *Semela* potius quàm *Penelope* & *Semele* dicerẽt. Ac quum fuerit comicis maius retinendæ Latinæ terminationis ſtudium quàm cæteris (vt iam duobus diuerſis exẽplis oſtendi) facilè crediderim *Penelopam* apud Plautum genuinam & germanam eſſe ſcripturam. Itidem Horatium *Circæ* non *Circes* ſcripſiſſe hoc in verſu,

Sirenum voces & Circæ pocula noſti,

grammaticus quidam affirmat: extántque qui huic ſcripturæ aſſentiantur codices. Sed etiamſi ita ſcripſerit, non tamen hanc terminationem alteri prætuliſſe crediderim (quũ ablatiuo Circe & accuſatiuo Circen, ſicut genitiuo Penelopes & accuſatiuo Penelopen, alibi vtatur) ſed potius κακόφωνον illud ὁμοιοτέλευτον quod efficitur ex genitiuo *Circes*, præcedente nomine *voces*, vitare voluiſſe. Hoc quidem certè fatendum eſt, nomen *Hecuba* velut quadam prærogatiua ita vſu receptum fuiſſe, vt minus quàm

aliud vllum ex eiuſdem claſſis nominibus, illa ſua terminatione Latina videretur offendere. Adeò quidem vt noſtræ etiã aures multo magis his terminationibus, *Hecuba, Hecubæ Hecubam*, quàm iſtis, *Penelopa, Penelopæ, Penelopam*, vel *Semela, Semelæ, Semelam*, aut *Circa, Circæ, Circam*; acquieſcere videãtur. Quid ſi verò ob ſyllabæ mutationem quæ in illo nomine facta fuit, mutãdo *κα* in *cu*, ſimul etiam terminationis mutatio facilius recepta fuit? Fortaſſe tamen & de aliquot aliis quibus nihil tale contigit, idem dici queat. Inter quæ non poſtremum fuerit *Helena*. quanuis potius *Helene*, & *Helenes*, & *Helenen*, apud poetas cum alios tum Naſonem habeamus, vt *Hermione, Hermiones, Hermionen*. Apud Maronem extat quidem genitiuus *Helenæ*, ſi non mentiuntur exemplaria: ſed quum hæc terminatio, etiãſi in genitiuo vitaretur, in datiuo minimè vitari poſſet: ideo fortaſſe & in hoc nomine & in aliis, potius genitiuo Latino quàm nominatiuo aut accuſatiuo datus fuit locus. Atque vt huic diſputationi finem imponam, in quolibet nomine molliorem eſſe Græcæ quàm Latinæ terminationis ſonum exiſtimo: nec tamen eos qui *Penelopa* vel *Semela* dicunt, & obliquos huic nominatiuo conuenientes vſurpant, reprehende-

rim (præſertímque in quibuſdam vrbium nominibus, vt in *Theſſalonica* apud Claudianum) ſed tantùm ἀρχαΐζειν dixerim: at verò qui nec *Penelopam* nec *Penelopen*, ſed, duas linguas in vna voce confundentes, *Penelopem* ſcribunt, cum EM, non cum EN, aut AM, eos vt grauiter in terminatione errantes, reprehendendos grauiter eſſe dico. Et tamen apud Fabium eodem modo *muſicem*, non *muſicen*, non vna editio habet.

Fortaſſis autem reprehenſionem merentur & illi qui pro *Cythere*, Κυθήρη, dicunt *Cythera*, de Venere: quòd, quum Cythera, Κύθηρα, genere neutro, plurali numero, nomen ſit inſulæ & vrbis, vnde cognomen ipſa Cythere accepiſſe traditur, diſcrimen hoc obſeruatum à Latinis fuiſſe ſit veriſimile. Idémque de aliis vbi idem contingit, iudicandum puto.

QVOD DE Penelope & Penelopa, de Semele & Semela, aliíſque propriis nominibus dictum modò fuit, idem de *Grammatice* & *Grammatica*, de *Rhetorice* & *Rhetorica*, aliíſque huiuſmodi, dicendum quis exiſtimet. Sed ego aliquam afferri poſſe rationem arbitror ob quam Latini terminationem ſimul & declinationem Grecam in his quàm in illis ſtudioſius ſeruauerint. Nimi-

rum quòd credibile ſit eos terminationem hanc Latinam, *Grammatica, Rhetorica*, adiectiuo relinquere maluiſſe. veluti quum dicitur *Grammatica doctrina*, *Grammatica oratio*, *Ars grammatica*. Hoc ſaltem conſtat, multo plures autorum locos terminationē illam Græcam, quàm hanc Latinam, habere: & quotidie ex veterum codicum autoritate illam pro hac reponi.

Sed videndum ne *Grammatica*, *Rhetorica*, *Dialectica*, *Phyſica*, *Muſica*, quæ antea docui eſſe τὰ γραμματικὰ, τὰ ῥητορικὰ, τὰ διαλεκτικὰ, τὰ φυσικὰ, τὰ μουσικὰ, aliquis falſò credat eſſe ἡ γραμματικὴ, ἡ ῥητορικὴ, itidémque in cæteris. Quod tamen contingere non poteſt vbi genitiuus aut datiuus aut ablatiuus pluralis inuenitur: veluti in iis quos attuli locis: ad quos lectorem remitto: eum admonens præterea ne quibuſdam fidem habeat, qui docentes declinationem nominis Grammatice, huic eius ſingulari Grammatíce, grammatices, &c. pluralem iſtum adiunxerunt, Hæc grammatica, Horum grāmaticorum, His grammaticis.

¶ POTERVNT ad hoc de terminatione caput pertinentia nonnulla colligi & ex iis quæ de mendoſa declinatione dicta ſunt (vt vitioſa eſt ablatiuorum terminatio, *Ianthe*,

à nominatiuo *Ianthis*, pro Ianthide: & *Charybde*, à nominatiuo *Charybdis*, pro Charybdi) poterunt ex iis etiam ſumi quæ in capite de mendoſa quarundã vocum ſcriptura dicentur. Verùm antequam hoc claudam, de voce quadam diſſerendum eſt ante paucos annos vſurpata, in qua mirum eſt terminatione Græca, ſine vlla ratione, reiecta, Latinam fuiſſe aſſumptam. Ea eſt *Nomocanonus*, ex Græca νομοκάνων facta. At ego aut *Nomocanon* terminatione Græca, aut certè pro ſimplici κανὼν itidem *canonus* dicendum eſſe aio. Quòd ſi hunc ſonum nullæ aures ferre poſſunt, miror aliquas inueniri quæ illum tolerare queant. Si forte tamen aliqua terminationi huius nominis *Nomocanonus* inſit canonici iuris cautela, quam ignorem, de illa moneri cupio.



De quibuſdã adiectiuis nominibus ex Græco ſermone ſumptis, ſed terminatione Latina deformatis. *CAP. V.*

DIXI in proximè præcedente capite cum de aliis qui circa terminationẽ committũtur erroribus, tum verò de nouo quodam qui à paucis annis introductus eſt,

in nomine ſubſtantiuo *Nomocanonus*: nūc de quibuſdam adiectiuis nominibus, quæ quum ex lingua Græca prodierint, terminatione Latina deformata fuerunt, verba ſum facturus. Primum autem exemplum, & quidem ex iiſdem libris vnde ſubſtantiuum illud Nomocanonus, petitum, eſt *ſynodalis*. Cur enim, quum ſubſtantiuum ſynodus dicentes, Græcam vocem (cuius ſcriptura eſt σιωόδος) vſurpemus, non itidem *ſynodicus* adiectiuum ab iiſdem Græcis non mutuamur? & *ſynodalis conſtitutio* potius quàm *ſynodica* dicimus? Præſertim quum illius terminationis formam ſequendo, pro σιωοδικῶς dicere non *ſynodicè*, ſed *ſynodaliter* oporteat: quod auribus multo etiā quàm illud nomē eſt aſperius. Idem & de *Patriarchalis* dicendum eſt. quum enim *Patriarcha* ſit πατϱιάρχης, cur iam Græcam linguā relinquentes, vel potius Græcam cum Latina commiſcentes, adiectiuo *Patriarchalis* pro *Patriarchicus* vtimur? Verùm vt à vocabulis quorum vſus minus latè patet, ad aliud veniam cuius ſignificatio eſt eiuſmodi vt eo quilibet frequēter opus habeant, cur, quum nomen ſubſtantiuum *Grammatice* ſermo Græcus Latino commodauerit, non itidem adiectiuum *Grammaticus* inde ſu-

munt quidam, sed pro eo *Grammaticalis* barbarè dicere non erubescunt? Vsi eo sunt (dicent) cum alii quidam, tum verò Sidonius Apollinaris, in his versibus,

Quicquid rhetoricæ institutionis,
Quicquid grammaticalis aut palæstræ est.

Quasi verò nō ii etiā qui Sidoniū multorū annorum spatio præcesserunt, barbara pleraque habeant. Nimirum suo versui quàm Latinitati seruire maluit. alioqui enim vt *rhetoricæ*, sic etiam *grammaticæ* dixisset. Vicissim enim si *grammaticalis* admittatur, & *rhetoricalis* admittēdum erit: si & *rhetoricalis*, certè & *dialecticalis*, aliáque id genus nōnulla. Sed in tam putidis vocabulis diutius immorari nolens, hoc vnum addo, tantum abesse vt Latini nominibus huiusmodi ex Græco sermone sumptis Latinam terminationē darent, quum ex substantiuis adiectiua facere vellent, vt contrà quædam ex iis quæ planè sua erāt, nihílque linguæ Græcæ debebāt, terminatione Græca vestirent. Ab *Epistola* tamen non *Epistolicus* tantùm sed etiam *Epistolaris* dici posse creditur. Atque adeò apud Martialem lib. XIIII, cuidam disticho præfixum est hoc lemma, *Chartæ epistolares*. Sed non perinde fides hisce verbis habetur, acsi suis ipse poeta versibus ea

inclusisset. Sicut tamen *epistolaris* hîc affertur pro *epistolicus*, ita *quantitas syllabaria* pro *quantitas syllabica*, dicunt quidam. In syllabicæ autem quantitatis mentione recordor, nonnullos Græcam illam terminationem ICVS (nimirum à Græca IKOΣ profectam) non bene alicubi vsurpare, in compositione: veluti quum dicunt *Declinatio parisyllabica* & *imparisyllabica*. Neque enim dubium est quin dicendum sit *parisyllaba* & *imparisyllaba*. Siquidem Græcè nõ dicitur ἰσοσυλλαβικὸς & ἀνισοσυλλαβικὸς (quia tunc duo adiectiua copularentur) sed ἰσοσύλλαβος & ἀνισοσύλλαβος.

EST ETIAM vbi terminatione Græca minus fortasse tutum sit vti quàm Latina: vt in nominibus quæ ἐθνικὰ vocantur. Qualia sunt, Μεγαρεὺς, à Μέγαρα: & Πριηνεὺς, à Πριήνη. Nam vt pro Μεγαρεὺς dicitur *Megarensis*, ita pro Πριηνεὺς quin Prienẽsis rectè dicatur, dubitari non potest: an verò & Prieneus satis Latinum sit, aliquis in dubium vocare possit, quanuis eo Sidonius Apollinaris vtatur.



De quibusdam vocabulis in quibus ab orthographia receditur.

SIVE

De cacographia, vel mendosa scriptura, quarundam vocum.

CAP. VI.

NOLIM à me expectare lectorem quod fortasse, nisi præmoneretur, ab huius capitis titulo expectaret: nimirum vt quodam grammatico more ipsas etiam huius argumenti minutias persequar: & quàm multis in locis litera quæpiam Latina locum Græcæ apud plerosque occupet, commemorem. Pauca enim tantùm huius generis menda (eáque insigniora & magis latentia) recensuisse contentus, ad maiora venire decreui. Incipiam igitur à nomine *Bosphorus*, & quæram quid hîc agat litera H, quum Græcè dicatur Βόσπορος, non Βόσφορος. Possem autem vicissim proferre multa quibus eam literam (siue eum afflatum, vt Varro appellat) in Latino sermone plerique inserũt, quum tamen à Græcis per τ non θ scribantur. Sed transibo potius ad diphthongum AE, & interrogabo cur illam

omittentes in plerisque vocabulis è Græco sermone sumptis, quibus pernecessaria est, (siqua habeatur ratio deductionis) contrà *Læuis* pro polito scribant, ea vtentes, quum Græci dicant λεῖος. Rogabo cur eadem diphthongo vtantur in plerisque adiectiuis quæ itidem ει non αι apud Græcos habent. id est, cur *Orphæus* scribant, *Vlyssæus*, *Achillæus*. Item cur hanc ipsam diphthongum ει nonnunquam mutent in i, scribentes nimirum *Xenophontius* & *Thucydidius*, pro *Xenophonteus* & *Thucydideus*. Verùm super hac ipsa diphthōgo quæstionem maioris momēti doctis etiam proponam: nimirum quomodo ει in i breue à mutari Latinis existiment: adeò vt ex χειράγρα possint *chiragra* facere, prima correpta: itidémque χειρουργὸς vertere in *chirurgus* prima breui. Aduocabitur statim Martialis versus,

Sed nil patrono porrigit: hæc chiragra est.

Verùm quis Martialem ita scripsisse persuadere sibi poterit? Nisi forte idem arbitretur, eum, quum dixit de poetis Græcis,

Sed Græci, quibus est nihil negatum,
Et quos ἆρες ἄρες decet sonare,

tantam credidisse illorum esse licentiam vt etiam χειράγρα prima vel producta vel correpta possent pro arbitrio sonare. Atqui si-

quis hoc ſibi perſuaderet, non Martialis nomini ſed ſuo magnam iniuriam faceret. Eò tamen (quod planè ridiculum eſt) res venit, vt quidam grammatici lepidam hanc quæſtionem mouerint, an liceret in *chiragra* primam ſyllabam producere, quum Martialis eam corripiat. O grammaticis agrammatis dignam quæſtionem. Equidem quicunque *chiragra* ibi tueri volunt, aut non didiciſſe aut obliti eſſe videntur, Græcos non ſolùm χεῖρα ſed χέρα quoque dicere: ideóque *chiragra* Latinos dicere poſſe prima producta, ſequendo vulgarem ſcripturam, χειράγρα: ſed licere illis *cheragra* quoque dicere, prima correpta, tanquam à χεράγρα. Prudenter itaque Ioannes Secundus (poeta vix vlli poetarum noſtri ſeculi ſecundus) *cherurgus* ſcripſit, quum primam corripiendam ſibi videret, in hiſce hendecaſyllabis oppidoquam lepidis,

Es ſimul medicus, ſimul cherurgus.
Cur? mittis Stygium viros ad orcum
Et manu ſimul & ſimul veneno.

Contrà verò quidam, illam grammaticorum dubitationem ſequens, non *cherotheca* ſed chirotheca ſcripſit: quanuis primam corripiens, in his verbis quibus pentametrum claudit,

-*tersa sit chirotheca manu.*

Verùm vt hæc nomina relinquens, ad alia quædam pergam, quî fit, obsecro, vt quum Græci dicant στρατήγημα, sitque verbale à στρατηγῶ, hoc autem à nomine στρατηγὸς originem habeat, tamen *stratagema* non *strategema* maxima pars hominum dicat? Quid verò dicemus de eo qui (vt error errorem parit) non solùm ita scripsit, sed etiam literam A quę locum literæ E occupat, corripuit?

Nobile magnanimi dicat stratagema Philippi.

Credibile est certè iam inueteratum errorem oculos illi, quod ad syllabæ quantitatem attinet, præstrinxisse. Gallica nostra lingua hanc vocem à Græcis, vt alias quamplurimas, est mutuata: sed ita vt ipsa quoque *Stratageme* dicat pro *Strategeme*. Certè siue ex ipso Græci sermonis fonte istud vocabulum hauserit, siue iam in Latino inuentum ex eo acceperit, non dubium est quin errorē illum foueat (sicut de alia quadam voce dictum à me antea fuit) foueant verò eundem & multa exemplaria, etiam quæ manu sunt scripta.

Ptolemæus dicendum esse constat, vt Græcè Πτολεμαῖος: cur igitur non vulgus

tantùm ſed alii etiam nõnulli *Ptolomæus* dicunt? Equidem & hîc Gallica lingua fautrix erroris dici queat: quippe quæ dicere ſoleat *le roy Ptolomee*, nõ *Ptolemee*. Hoc tamen in nomine multo pauciores labũtur, quàm in *Dionyſius*, de Baccho. quum enim Bacchum à Græcis vocari Διόνυσον conſtet, non Διονύσιον, quotuſquiſque tamen aliter quàm Dionyſium eum appellat? Peccatur & in quibuſdam nominibus ἐθνικοῖς, eiuſdem literæ interiectione: vt in *Bæotius*. Multi enim pro *Bæotus* dicunt *Bæotius*: quaſi Græcis Βοιωτὸς & Βοιώτιος diuerſum vſum non haberent, vt Latinis Italus & Italicus. Quidam verò in quarundam vrbium nominibus peccant, dum ex parte tantùm eſſe Græca ſinunt: vt qui ex *Adrianopolis* faciunt *Adrianipolis*. Eodem certè iure (ſiquid iuris hîc eſt) *Conſtantinopolis* in *Conſtantinipolis* poſſent vertere.

Quòd ſi & alia quæ ignari Græcæ linguæ deprauant cõmemoranda hîc eſſent, adderem ſuperioribus appellatiuis nominibus *idolatra* (ſequendo & hîc Gallicam linguam) pro *idololatra*: item *metoſcopus* pro *metopoſcopus*: necnon & alia his adiungerem. Sed quorundam ſimilium errorum qui illius etiam linguæ peritis obrepunt, fa-

cere mentionem malo. Ex his est *Nemæus leo* pro *Nemeæus*, νεμεαῖος λέων. Cui planè similis sed magis inueteratus est error in nomine *Piræus* pro *Piræeus*. Quanuis enim nihil manifestius esse possit quàm ex Πειραιεὺς effici Piræeus, terminatione Latina, factum est tamen nescio quomodo vt Terentii & Ciceronis exemplaria hic error occuparit. & ita quidem vt quanuis Ciceronis editiones posteriores & integram lectionẽ habeant, & Terentio eam reddant, Terentianæ contrà omnes eum errorem foueant. Afferam autem prius Ciceronis locum. Is extat libro epistolarum ad Atticum septimo, *Venio ad Piræea. in quo magis reprehendendus sum quòd homo Romanus Piræea scripserim, non Piræeum (sic enim omnes nostri locuti sunt) quàm quòd* IN *addiderim. Non enim hoc vt oppido præposui, sed vt loco. Et tamen Dionysius noster, & qui est nobiscum Nicias Cous, non rebatur oppidum esse Piræea. Sed de re videro. nostrùm quidem si est peccatum, in eo est quòd non vt de oppido locutus sum, sed vt de loco. secutúsque sum, non dico Cæcilium, Mane vt ex portu in Piræeum (malus enim autor Latinitatis est) sed Terentium, cuius fabellæ propter elegantiam sermonis putabantur à C. Lælio scribi:*

Heri aliquot adolescentuli coimus in Piræeum. Et tamen apud Terentium, vti dixi, Piræum, non Piræeum legimus. Obiter autem velim & accusatiui *Piræea* terminationem illic considerari, propter illa quæ à me tea de illa fuerunt dicta.

Cæterùm vt superiora vocabula in medio decurtantur, seu mutilantur, sic quædam in extrema sui parte. veluti quum ea cui nomen est *Nausicaa*, Ναυσικάα, vocatur *Nausica* ab Erasmo aliquot in locis. Quædam verò & in principio aliqua litera priuantur. vt medici quidam *asma* & *asmaticus* & pronuntiant & scrib ũt: non quòd de cantu cogitent illi quidem, sed quòd *asthma* esse nomen illius morbi quem significare volunt, *asma* appellari cantum ignorent.

Superioribus autem nõ addidi errorem eorum qui *exanclare* pro *exantlare* scribũt, quòd satis notum & conuictum esse putarẽ: at nunc recordatus à quibusdam scripturam illam defendi, monendum de eo lectorem, simúlque aliam quoque verbi *exantlare* originem ei proponẽdam cẽsui. Quanuis enim deductionem à verbo ἐξαντλεῖν non improbem, quæro ánnon & aliam habere possit, nimirũ à verbo ἐξανατλᾶν. Magno quidem certè est in vsu ἀνατλᾶν πόνους.



De nominibus Græcis quarundam figurarum partim apud grammaticos, partim apud rhetores, quæ in Latino sermone deprauata sunt.

CAP. VII.

GRAMMATICI pleriq; inter ſchemata ſeu figuras orationis, quandam recenſent quã *liptoten* appellant, Græcum, vt aiunt, nomen retinentes. Si tamen Græcos grammaticos, ſcholiaſtas, lexicographos, gloſſographos, omnes ad vnum conſulas, quid hoc verbi ſit in Græca lingua, ignorare ſe vno omnes ore reſpondebunt. At ſi eoſdem roges ánnon figuram quandam norint quæ vocetur λιτότης, vix vltimam huius vocabuli ſyllabam protuleris, quum id ſibi optimè notum eſſe reſpondebunt. Erunt tamen hodiéque fortaſſis qui mordicus ſcripturam illam retinere volent, & Seruii autoritate ſuam tueri cauſam conabuntur. Legitur enim apud illum Liptote, inquient. At ego *liptotes* quidem, ſed non *liptote*, apud eum me legiſſe pleriſque locis, reſpondebo. Viciniorem autem veritati eſſe hanc ſcripturam *liptotes*,

id est, vestigia veræ lectionis (quæ est *litotes*) magis retinere, nemo inficiari poterit: nisi qui ignorabit Græcè scribi λιτότης. Verùm nequid fingere dici possim, ex multis Seruii locis in quibus illa vox legitur, paucos proferam. Quorum lectionem ideo non iniucundam fore spero, quoniam siquid sit in illa tædii, pulcherrimis præstantissimi poetæ versibus velut condietur. Inutilem quidem certè minimè futuram scio, quum figuræ huius aliquot exempla diligẽter obseruata, in multis poetarum locis iudicium lectoris adiuuare & confirmare possint. Incipiam autem ab eo vbi hanc figuram definit. In hunc igitur locum libri primi AEneidis,

AEolus hæc contrà, Tuus, ô regina, quid optes,
Explorare labor, mihi iussa capessere fas est.

annotat, *Mihi iussa capessere fas est, Figura est liptotes: quæ fit quotiescũque minus dicimus, & plus significamus, per contrarium intelligentes. vt hoc loco, non ait, Licet mihi implere quæ præcipis: sed, nefas est non implere quæ iusseris. Item, Munera nec sperno. Id est, libenter accipio.* Eodem modo in istum locum libri vltimi eiusdem poematis,

Scis vt te cunctis vnam quæcunque Latinæ

Magnanimi Iouis ingratum ascendere cubile,

Prætulerim, ista scribit, *Liptotes figura per contrarium. plus enim dicit, & minus significat. nanque alias omnes est persecuta, huic verò libenter indulsit. Et dicit se hanc omnibus prætulisse, quasi etiam alias in honore habuerit. Tale est & illud Salustianum, Mare Ponticum dulcius quàm cætera. quum nullum dulce sit.* Idē in hunc versum Georg. lib. II, *Et gens illa quidē sumptis non tarda pharetris*, scribit, *Non tarda, id est strenuissima. nā liptotes figura est.* Non multo pôst, in hunc versum, *Miscuerūntque herbas & non innoxia verba*, annotat, *Liptotes. id est nocentissima.* Item vbi scribit hic poeta (nimirum Georg. lib. III) *Nec tibi cura canum fuerit postrema*, hac ipsa figura vsum esse poetam tradit, & quidem eam illo eodem nomine hîc quoque appellans. *Liptotes* (inquit) *pro, Magna tibi cura sit canum*. In hunc eiusdem libri versum, *Nec mihi displiceat maculis insignis & albo*, habēt ista illius commentarii, *Liptotes figura. id est, valde placeat. vt, Munera nec sperno.* Quæ verba, tanquam familiarissimum figuræ huius exemplum, alibi etiā affert: vt videbis in duo-

bus qui proximè sequētur. Quos ideo præcedentibus adiungo, quoniam in illis hæc ipsa figura, non iam *liptotes* sed *litotes* ab eo nominatur. In his igitur Maronis verbis, *Quid prodest quòd me ipse animo nō spernis Amynta*, figuram illam esse admonens, hæc scribit, *Animo non spernis, id est Libentissimè amas. Et est litotes figura: sicut, Munera nec sperno.* In hūc quoque versum libri primi Georgicωn, *Nec nulla interea est inaratæ gratia terræ*, ab eo scribitur, *Litotes figura est. id est, maxima & præcipua. vt, Munera nec sperno.* Fortassis autem sunt & alii apud eundem grammaticum loci, vbi vera lectio seruata fuit. Verùm etiamsi ne vnus quidē veram illam lectionem haberet, in tantum grammaticum quomodo tam crassi erroris suspicio cadere posset? Equidem vel litera s quæ in aliis locis itidem habetur, vbi litera p inserta scribitur *liptotes*, eum hac suspicione liberat. Potius enim *liptote*, vt grammaticorū vlgus, scripsisset, quàm *liptotes*, cum s. Ac fortassis aliquis illud eorum cōmentum quo figura hęc appellata dicitur *liptote*, à verbo λείπειν, pro oraculo habens, me illi nō acquiescere mirabitur. *Liptote* (inquiūt) *est defectio. à λείπω, id est deficio, vel linquo.* Sed noua quædam lingua Græca quærenda

fuerit quæ tale verbale à tali verbo peperisse dicatur. At verò *litotes*, id est λιτότης, à nemine in Græcis literis mediocriter saltē versato non agnoscetur. Agnosci quidem certè debebit, quum manifesta sit ab adiectiuo λιτὸς deductio: perinde videlicet acsi is qui hac figura vti dicitur, parcius loqui diceretur. Ac profectò quum nihil sit aliud quàm extenuatio quædam eius quod intelligi volumus, videri posset μείωσις ad eandē significationem posse accōmodari: Fabius tamē μείωσιν esse scribit quum sermoni deest aliquid quominus plenus sit. Sed ego περὶ λιτότητος nequaquā λιτῶς disserui: in eorum certè potissimum gratiam qui toties hoc nomine *liptote* marginem librorum Virgilii insigniuerunt.

AB IISDEM, nimirum à grammaticis, figura quædam poetica vocatur, Græco, vt aiunt, nomine, *Endiadys*, vel *Hendiadys*: multúsque est illorum de hac sermo: quum tamen sermo Græcus nullam figuram quæ ita nominetur, agnoscat. Quis enim apud eos vnquam ἐνδιαδὺς legit? (nisi fortè alicubi participiū ἐνδιαδὺς extet à verbo ἐνδιαδύω) At si ἓν διὰ δυοῖν dixeris, aut etiam ἓν διὰ δύο, tum verò & illi quorū aures barbariei nondum sunt assuetæ, figuræ cuiusdam

nomẽ à se agnosci fatebuntur. Neque verò est quòd recentiores illi grãmatici qui *Hendiadys*, siue *Endiadys*, aut etiam *Endyadys*, scribunt, Seruium sibi patrocinari putent: quòd apud eum quoque scriptum sit *endyadis*. nam in hunc Maronis locum, AEneid. lib. I,

-molémq; & mõtes insuper altos Imposuit, annotat, *Id est, molem montis. Et est figura endyadis: vt vna res in duas diuidatur, metri causa interposita coniunctione. vt alibi, Pateris libamus & auro. Id est, pateris aureis.* Aliáque multa eodem pacto à Marone dicta esse admonet, nullam figuræ mẽtionem faciens, sed dicta esse tradens eo modo quo *Molémque & montes*. Nam *In breuia & syrtes* ita dici ait pro *In breuia syrtium*: & *Arboribus atque vmbris* pro *Vmbris arborum*. Item, *Hic membris & mole valens*, pro *Mole membrorum valens*. Sed sunt etiam loci vbi in mentione eiusdem generis loquendi exẽplaria habẽt, ἐν διὰ δυοῖν, vel ἐν διὰ δύο, quáuis figurã esse non dicat, vt in eo quem primum attuli loco. Siquidem in hæc verba Georg. lib. II, *Pateris libamus & auro*, scribit, *Pateris aureis.* ἐν διὰ δύο. Et in istũ versum AEneid. V, *Quid si quis cæstus ipsius & Herculis arma Vidisset?* annotat, *Cæstus &*

arma, ἓν διὰ δυοῖν. *Arma, id est cæstus*. Iam igitur eiusdem Seruii autoritate, qua suum errorem excusaturi erant, apertè accusari vident. Quum autem de Seruio loquor, de exemplaribus commentariorum eius intelligo. Etiamsi enim in omnibus locis *endiadis* vel *endyadis*, siue *hendiadys* aut *hendyadis*, scriptum esset, nihil minus tamē quàm tanto viro imputandus tantus error esset. De quo etiam quum tot verba facio, lumē soli admouere velle mihi videor: sed vicissim dū mihi cum quo genere hominum sit negotium cōsidero, & marginē multarum Virgilii editionū sicut superiore illa *liptote*, ita etiam hac *endiadys* foedatum recordor, manum de tabula ponere vix queo. Quid quòd ab *endiadys* fecerunt etiam accusatiuum *endiadyn*? nempe hoc restabat. Obiter autem lectorē monitum volo de exemplo quod vltimum ex Seruio attuli, in eo Virgilii loco, si eius expositionem sequamur, non tam figurā hanc ἓν διὰ δυοῖν, quàm ἐπεξήγησιν ibi esse mihi videri. Præterea, me ab iis dissentire qui nullum figuræ illi ἓν διὰ δυοῖν in soluta oratione locū esse tradunt (quanuis & ipse Seruius hoc scripsisse feratur) quū in locis nonnullis eam obseruarim. Sed heus tu lector, aliam præterea quandam fi-

guram, nouã tuis auribus fortaſſe futuram, & quidem illi de qua diſſerui, planè contrariam, ex me, vel potius ex Donato, diſcito. Ea eſt, δύο δι' ἑνός. In hunc enim Andriæ Terentianæ locum,

Sanè pol illa temulenta eſt mulier & temeraria,
Nec ſatis digna cui committas primo partu mulierem,

hæc ſcribit in poſtrema verba, *Duas res, nec pariente͂, nec primo partu. Figura*, δύο δι' ἑνός. *vt Virgilius, -non me tibi Troia Externũ tulit. Et, Dum domus AEneæ Capitoli immobile ſaxum Accolet.* Meminit verò & alibi eiuſdem figuræ.

VT AVTEM in figura Endiadys ſiue Hendiadys præcipua deprauatio in eo verſatur quòd tres voculæ in vnam ſint conflatæ, ſic in *hyphen* duarum in vnam conflatione peccatur. Sed illi quidem figuræ accuſatiuum dederũt *Endiadyn*: at huic *Hyphen* diuerſum à nominatiuo accuſatiuũ inuenire non potuerũt. Tradũt igitur *per hyphen* dixiſſe Maronem *antemalorum*, hoc in verſu,

-neque enim ignari ſumus antemalorum.

Profectò multos eſſe ſcio qui norint quidem quis ſit vſus figuræ *hyphen* (ſi modò & hoc figuris annumerari debet) ſed tamen

Vide et in Para lip. Instit. Gram: pag. 91.

quid hoc vocabulum ſonet ignorent. Atque adeò ex iis ipſis qui *hyphen* corruptè dici cogitant pro ὑφ' ἓν, paucis in mentem venit quid cum illo ἓν ſubaudiri debeat. Diſcãt igitur, grammaticos Græcos, quum dicunt ὑφ' ἓν, breuitatis cauſa omittere ſubſtantiuũ *μέρος*: rurſúſque cum hoc ſubſtantiuo ſubaudire genitiuum *λόγου*. Perinde eſt enim acſi dicerent, ὑφ' ἓν *μέρος λόγου*, id eſt *Sub vnam partem orationis.* quoniam videlicet quæ ad duas orationis pertinent partes, in vnam coniunguntur. Quum autem ὑφ' ἓν ita dici à Græcis perſuaſiſſem quidem mihi, ſed nullius grammatici teſtimonio pertinacibus probare poſſem, incidi tandem in quoſdam Græcorum ſcholiaſtarum locos, qui meam iſtam opinionem abundè confirmarunt. Eorum vnus eſt apud enarratorem Ariſtophanis. Deſinant igitur ita loqui vt dicant hoc vel illud dictum eſt *per hyphen*: quod perinde eſt acſi diceretur, *Per ſub vnam partem orationis.*

VOCEM *amphibologia* ſuperioribus addam neceſſe eſt, niſi præuaricator in ea quam agendam ſuſcepi cauſa eſſe velim. Neque verò aduerſariorum multitudo me à ferenda de hoc quoque vocabulo ſententia deterrebit. Aduerſarios voco qui non ſolùm

ſolùm ad hunc vſque diem *amphibologia* mendoſè dixerunt, ſed etiam poſthac, licet à me admoniti, in eo perſeuerare volent. Aliã certè huius erroris in quem adeò multi inciderunt, nõ eſſe originem crediderim, quàm quòd huius nominis eãdẽ debere eſſe putauerint terminationem quę eſt horum, Periſſologia, Tautologia, Palillogia, Brachylogia, Macrologia. Quid quòd illa quoque ſcriptura *amphibologia* in Seruii commẽtarios intruſa fuit? Nam in hunc locum AEneid. lib. x,

Aſſaracique duo, & ſenior cum Caſtore Thybris,

hæc ſcribit, *Poſſumus & ſolum Thybrim ſenem accipere: poſſumus & Caſtorem, ſi legamus, Et ſenior cum Caſtore. nam amphibologia eſt.* Atque alibi itidem *amphibologia* apud eum legitur. Verùm ſi reuiuiſceret tantus grammaticus, hoc eum in ſuo dolore ſolaretur, atque adeò magnam illi doloris ſui partem leuaret, quòd librarios non vbiq; ſibi ſimiles, id eſt, non vbique vel ſocordes vel temerarios, commentarii eius habuerint. Quemadmodum enim antea oſtendi veram pręcedentium vocabulorum ſcripturam alicubi emergere, ita etiam de hoc dici poteſt. Extant enim apud eundem alii

loci vbi librarii *Amphibolia* & *Amphibolon*, aut etiam vtrumque, nobis integrum reliquerunt. vt in hunc versum AEneidis lib. 1,

> *Aurea subnectens exertæ cingula mammæ Bellatrix,*

annotat, *Amphibolon est hoc loco, vtrum ipsa aurea, an aurea cingula. Sciendum tamen, plerunque amphiboliam metri ratione dissolui*, &c. Verùm quum mirum in modum inueteratus sit error huius vocis *amphibologia* pro *amphibolia*, & cũ aliorum multorum, quorum singulis propè diebus libri in lucem prodeunt, tum verò Erasmi (qui & ipse passim ita scribit) autoritate nitatur: nequis talem scripturam (id est hunc manifestum errorem) stultè defendere conetur, eum apud se considerare iubebo, non posse dici *amphibologia* quin præcedat *amphibologos* (quemadmodum *brachylogos* prius est quàm *brachylogia*, & *macrologos* prius quàm *macrologia*: necnon adiectiuum *perissologos* ante substantiuum *perissologia*, imaginemur necesse est, itidémque in cęteris) Atqui *amphibologos* non potest componi nisi ex *amphibos* & *logos*: sicut *brachylogos* ex *brachys* & *logos*, sicut *macrologos* ex *macros* & *logos*, eodémque modo cætera: & ita tandem εἰς τὸ ἄτοπον deducti erimus, quum il-

lud *amphibos* nihil magis Græcum sit quàm Latinum: sed *amphibolos* dicendum sit, ei quidem certè qui Græcè loqui velit. Adeò vt si hoc adiectiuum cum λόγος componat, dicere cogatur ἀμφιβολολόγος & ἀμφιβολολογία, vtpote syncope nullum in talibus locum habente. Sed tunc ita fuerit Græcus hic sonus, vt barbaræ potius quàm Græcæ aures eum ferre possint.

NOMINIS *etymologia* similis præcedēti terminatio ipsum mihi in memoriam reuocauit, quum alioqui nec sit itidem figura, nec eadem de hoc quæ de illo dicenda sint. Neque enim mendosè dicitur *etymologia*, sicut *amphibologia* vitiosum esse vocabulum docui: sed in eius significatione à plerisque peccatur, quum *etymologiam* & *etymon* vnum idémque valere putant. quod certè perinde est acsi inter *ætiologia* & *ætion* nihil discriminis statuerent.

FIGVRA quædam est quæ ab omnibus propemodum grammaticis appellatur *eclipsis*, quum *ellipsis* vocari debeat: & paucos esse video ex viris etiam doctissimis, quos illi in hunc suum errorem non pertraxerint. Quid refert (dicet aliquis) siue hoc siue illo nomine eam appelles? potéstne tantillum in scriptura discrimen magnam

ſignificationis differentiam afferre? Imò verò tantum inter hæc diſcriminis eſſe dico quantum eſſe poteſt inter illa quæ rectè & illa quæ ſecus dicuntur: nec magis illā figurā *eclipſin* dici poſſe pro *ellipſin*, quàm ſolis *eclipſin* appellari *ellipſin*. Sed huic errori autoritatem quorundam etiam veterum ſcriptorum exemplaria dederunt. nam in ea quoque hic graſſatus eſt. Quorum è numero eſt Fabius Quintilianus. Verùm qui veteres codices terere conſueuerunt, & experientia ſunt edocti quanta librariorum audacia fuerit, ne hoc quidem, vt opinor, mirabuntur. Eſt certè inde natus error, vt opinor, quòd *eclipſis* notiſſimum ſemper fuerit vocabulū, propter eclipſin ſolis (qua in ſignificatione à lingua noſtra retinetur) at *ellipſis* non item. Et quoniam non paucos fore ſcio qui me de re leui, vt paulo antè dixi, contendere exiſtiment, viſum eſt in eorum gratiam (præſertim ſi Græcæ linguæ ſint ſtudioſi) propriū vtriuſque vſum attingere. Sumam autem à verbis vnde hæc nomina deducta ſunt, initium: quū hæc illorum ſignificationē ſequi, vel, horum ſignificationem ex illorum ſignificatione pēdere, neceſſe ſit. Verba igitur illa eſſe ἐκλείπειν & ἐλλείπειν, apertum eſt. Et τοῦ ἐκλείπειν qui-

dem compositio manifesta est: ἐλλείπειν autem præpositionem nō seruauit integram, id est immutatam: quum sit ex ἐν & λείπειν. Dicitur itaque ἐκλείπειν quod deficit, quod non amplius extat, quod in natura rerum esse desiit. vt si nihil auri vsquam reperiretur, dicendum esset, ἐκλείπει τὸ χρυσίον, vel ἐξέλιπε τὸ χρυσίον: at si aliis quidem aurum esset & superesset, mihi autem deesset, dicerem, ἐλλείπει με χρυσίον, vel τὸ χρυσίον. Quum verò & aliis plerisque modis sibi peculiarem vsum habeat vtrumque horum verborum (vt in meo Thesauro Græcæ linguæ apertè docui) pauca duntaxat addam, ex quibus *ellipsin* non *eclipsin* vocandam esse eam figuram patebit. Eam contrariam esse *pleonasmo* constat: quum *ellipsis* sit in oratione cui aliquid deest quominus plena sit: contrà *pleonasmus*, quum aliquid in ea redundat. At ecce, verbo πλεονάζειν contrarium est non ἐκλείπειν, sed ἐλλείπειν: vt videre est cum apud alios, tū verò Isocratem & Aristotelem. Atque hic ἐλλείπειν & ὑπερβάλλειν inter se itidem opponit, eorúmq; verbalia ἔλλειψις & ὑπερβολή. Huc pertinet & quòd ἐντελὴς λόγος esse dicitur à grāmaticis oratio cui nihil deest, in qua nihil est extrinsecus assumendum, & subaudiendum (vt

grammaticè loquar) relinquitur. at τῷ ἐντελὴς opponitur ἐλλιπὴς, non ἐκλιπής. Ita & apud Athenæum quidam, τὸ δὲ δεῖπνον ἐντελὲς, καὶ μηδὲν ἐλλιπές. Item, ἡ καλλωπιζομένη γυνὴ dicitur θεραπεύειν τὸ ἐλλιπὲς, nimirũ quæ pulchra eſt, ſed nõ ab omni parte: ſiue, quæ non omnibus pulchritudinis partibus inſtructa eſt. At verò anus quæ exacto pulchritudinis tempore, & effœto iam corpore, pulchritudinem fruſtra quæret, dicetur fruſtra velle reuocare τὸ ἐκλιπὲς, ſeu τὸ ἐκλιπόν. Vtar & alio exemplo. Quem nõdum robur naturale deſeruerit, ſeu deſtituerit, ſed morbo aliquo debilitatum fuerit, dicetur aliquibus remediis θεραπεύειν τὸ ἐλλιπὲς τῆς ῥώμης, ſeu τῆς ἰσχύος: at ſenex decrepitus, qui idem facere conabitur, dicetur & ipſe fruſtra θεραπεύειν τὸ ἐκλιπὲς ſeu τὸ ἐκλιπόν. Fateor alioqui interdum in certo quodam genere loquendi vtriuſque vſum in diuerſis exemplaribus inueniri: vbi actiuam ſignificationem habent, ideóque & accuſatiuum. veluti apud Plutarchũ in Ageſilai vita, οὐδὲν ἐλλείψω προθυμίας, pro hoc ἐλλείψω quidã libri habent ἐκλείψω. Sed illorum exemplarium fidẽ vel vnus eleuare poteſt Xenophon, qui ſcribit, Cyri Pædiæ lib. IIII, pag. LXV, meæ editionis, προθυμίας οὐδὲν ἐλλεί-

φορμὴν. Hactenus de his duabus vocibus, iis quidem qui peruicaces non erunt, nimium multa: at iis qui peruicaciter errorem suum tueri, & veritati (quæ vel me tacente loquitur) aures occludere volent, nimis pauca.

AT VERO *ellipsis* apud quosdam ex recentioribus grammaticis inuenitur, non in ea quidem quam dixi significatione, sed pro literæ alicuius absumptione, quæ poetis est in vsu. Verùm eos non minore errore *ellipsis* in hac significatione scribere pro *ecthlipsis*, quàm scribunt *eclipsis* pro *ellipsis*, apertius est quàm vt mihi tot verbis hîc quot illic sit opus. ἔκθλιψιν enim esse elisionem, à verbo ἐκθλίβειν, vel ii qui primoribus tãtùm labris Græcã linguã degustarunt, scire possunt. Apud Seruiũ certè salua mansit huius figuræ appellatio, in vulgatis editionibus: non item altera de qua modò dictum fuit. nam apud eum quoque nominis *ellipsis* locum occupauit *eclipsis*.

AVDIVI qui *parasiopesis* & *aposiopesis* de vna eadémque figura dici existimarent. Sed diuersam quandam vim præpositionibus ἀπὸ & παρὰ in hac compositione inesse sciat, quæ significationes illorum separet. *Parasiopesis* (inquit P. Rutilius Lupus) *est schema, quũ aliquid nos reticere dicimus, &*

tamen tacitum intelligitur. Et hoc vtendum est, quum aut notam rem auditoribus esse arbitramur, aut suspicionem excitare maiorem reticendo possumus. Affertque duo exempla, vnum ex Lycurgo, alterũ ex Hyperide: quæ apud eum videnda relinquo. At verò *aposiopeseως*, quæ iratis cõuenit, vulgare & insigne habemus exẽplum in illo Maronis versu,

Quos ego. sed motos præstat cõponere fluctus.

IN VOCE *dialogismus* error multo fœdior committitur à quibusdam: qui quum incidũt in locos vbi orator aliquis interrogationem quãpiam proponit, deinde ad eã ipsemet respondet, aiunt esse figuram quæ *dialogismus* vocatur: existimantes nimirum *dialogismus* tale quid esse quale *dialogus*: quum tamen διάλογος sit à verbo διαλέγεσθαι, (quanuis alioqui ab actiuis potiùs talia proficiscantur: vt à καταλέγειν, κατάλογος: & à προλέγειν, πρόλογος) at διαλογισμὸς à verbo διαλογίζεσθαι. Ideóque rectè Iulius Rufinianus, de dialogismo loquens, *Hæc figura fit* (inquit) *quum quis secum disputat & volutat quid agat vel quid agendum putet.* Et subiungit exẽpla. ex Terentio, *Quid igitur faciam?* Item ex Virgilio, *En quid agam? rursúsne procos irrisa priores Experiar?* Item ex Cicerone in oratione pro Cluentio, *Dem*

iudicibus? mihi igitur nihil quæretur. Et in Verrem, *Si pupillo redimitur, mihi præda de manibus eripitur. Quod est igitur remediũ? Quod? ne liceat pupillo redimere.* Iam verò siquis mihi obiiciat, his etiã in locis oratorẽ ad suam interrogationem respondere, eum cõsiderare iubebo nõ simpliciter esse interrogationem, sed interrogationem quãdam διαπορητικήν. vnde etiam fit vt hæc figura magnam affinïtatem habeat cum ea quæ diaporesis appellatur.

DIASTOLE quoque est cuiusdam figuræ nomen: quamuis vulgo *diastole* esse putetur quæ à multis, Latinè se loqui existimantibus, distinctio vocatur: quum interpunctio appellari potius debeat. quo vocabulo purè Latino repræsentatur Græcum στιγμή. sic tamen vt ipsam quoque præpositionem exprimẽdo, sit potiùs διαστιγμή: sicut διαστίζειν magis quàm simplex στίζειν, repræsentaret verbum *interpungere*. Dicitur verò & ὑποστίζειν, necnon ὑποστιγμή: cui opponitur τελεία στιγμή. At *diastole* huc nõ pertinet, quod sciam. neque etiam puto dictã à veteribus fuisse de aliqua nota distinctionis inter duas voces, ne per cõpositionem iungi putẽtur. Nihilo magis agnosco quiddã aliud quod de hoc vocabulo traditur, nimirũ

diaſtolen, vbi agitur de quãtitate ſyllabica, vocari eã figuram quæ alio nomine *ectaſis* appelletur. Hoc, inquam, minimè agnoſco: nec agnoſcã, donec hæ ſignificationes magis idoneis autoribus mihi confirmentur. At verò Diaſtole necnon Paradiaſtole de aliis quibuſdam figuris dici, autoritate partim Publii Rutilii Lupi, partim Iulii Rufiniani confirmari poteſt. *Diacope, ſiue Diaſtole* (inquit hic) *eſt quum inter duo eadem verba diuerſum ponitur aliquid medium. vt, Culpatúſve Paris, diuûm inclementia diuûm. Et, Duc age, duc ad nos. Et, Scis Proteus, ſcis ipſe. Latinè dicitur ſeparatio.* Idem, *Paradiaſtole eſt, quum ſimiles res diſcernuntur contrariis redditis. vt, Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres, Arboribus venti: nobis Amaryllidis iræ. Et, Dulce ſatis humor, depulſis arbutus hœdis, Lenta ſalix fœto pecori: mihi ſolus Amyntas. Latinè dicitur diſcriminatio.* Ac nequis nullum apud oratores eandem figuram habere locum exiſtimet, afferam & quæ Rutilius Lupus de ea ſcribit, licet aliter explicans. *Hoc ſchema* (inquit, de paradiaſtole loquens) *plures aut u as res, quæ videntur vnã vim habere, diſiũgit: & quantum diſtent, docet, ſuam cuique propriam ſententiam ſubiungendo.* Exẽ-

plum autem ex Hyperide ſubiungit, quod eius liber legere cupientibus ſuppeditabit.

VERVM VT ad cacographiam quorundam nominum redeam, quemadmodum nonnullos eiuſmodi errores quibuſdam etiam vetuſtioribus grãmaticis communes cum recentioribus eſſe fateor (quod certè nominatim de *amphibologia* dici poſſe videtur) ita quidam inueniuntur qui planè recentem recentiorum barbariem redolẽt. Cuiuſmodi eſt *allæotheta*, *allæothetæ*, fœminino genere. Eſſe enim inde hauſtum vnde etiam illa, *Chronica*, *chronicæ*, *Biblia*, *bibliæ*, manifeſtum eſt. Illi autẽ *allæotheta* addere poſſumus *ſolæcophanem*, vt quod ſit eiuſdem farinæ. exiſtimarunt enim ita dici *ſolæcophanes*, vt Ariſtophanes: ideóque ſimilem accuſatiuum illi dederunt. Corruperunt & aliis modis quædam: veluti quum ſcripſerunt *prupergaſia* pro ea figura quæ à Gręcis προϋπεργασία nominatur: id eſt, *proypergaſia* deformarunt in *prupergaſia*. Denique & aliis multis modis peccarunt, quos perſequi & longum eſſet, & nequaquam mei inſtituti. Multo etiam minus operæpretium eſſe puto, commemorare quomodo in exponendis quarundam figurarum nominibus Græca lingua abuſi ſint, aut de

Græca lingua mentiti sint: veluti quum *archaiſmon* quidam tradiderunt à Græcis appellari nihil aliud quàm vbi prępoſitioni caſus vnus pro alio datur: alii verò eos acerrimè reprehendentes, qui ita nominis ἀρχαϊσμὸς ſignificationem reſtringerent, addiderunt, idem etiam ſignificare quod ſolœcophanes. Talia, inquam, perſequi, mihi propoſitum non eſt, de iis lectorem monuiſſe contento. Hoc igitur caput claudam, ¶ ei pauca tantùm de cuiuſdam figuræ nomine addidero: ea nimirum quæ à quibuſdam *cacophaton* ab aliis *cacephaton* appellatur. Quum enim à quibuſdam ſcriptoribus Græcis, ex iis etiam quorum non parua eſſe debet autoritas, videam figuram illam κακέμφατον appellari, non κακόφατον, nec κακήφατον, vereri me dico ne vbi *cacephaton* apud veteres grãmaticos legimus, litera M omiſſa ſcriptum ſit pro *cacemphaton*. At illi qui hanc ſcripturam *cacephaton* ſuſpectam quidem habuerunt, ſed quomodo emendanda eſſet, non animaduerterunt, eam in *cacophaton* fortaſſe mutauerunt. Sed penes veracia exemplaria (ſicubi ea latent) fides eſto: ego interim cautius & tutius loquutum me putabo, quum eorum exẽplo quorum memini, *cacemphaton* dicam.



De aliis vocabulis Græcis, in quibus non circa ſcripturam, ſed circa ſignificationem peccatur.

CAP. VIII.

SIGNIFICATIONES etiam tribui nonnullis vocabulis Græcis in lingua Latina, quæ ab illis ſunt alieniſſimæ, ex poſteriori præcedẽtis capitis parte notum iam lectori eſſe potuit, præſertímque ex vocibus illis *dialogiſmus* & *diaſtole*. Sed vt ad inſigniora huius erroris exempla veniam, vel illa vox omnium ore trita *Elenchus* quomodo, obſecro, id ſignificare poteſt quod plerique omnes ea ſignificari volunt? *Elenchus eorum quæ hoc libro continentur.* Quis eos docuit vocem ἔλεγχος talem vſum habere? At fortaſſis vox *elenchus* licet à Græcis profecta, apud Latinos tamen peculiarem quandam ſignificationem habet: dicet quiſpiam. Nimirum ſi Latini ſunt quicunque voce iſta ſic vtuntur hodie, apud Latinos aliũ quempiam quàm apud Græcos vſum habere dicendum eſt: ſed ne illi quidem hunc titulum ſibi arrogabunt. Huic autem errori non originem quidem ſed autorita-

tem dederunt verba Hermolai. Is enim postquam suis in Plinium castigationibus dixit, in omnibus vetustis exemplaribus continuò post præfationem verba hæc legi, *C. Pliniј Secũdi historiarum mundi elenchos librorum omnium trigintaseptẽ, liber vnus, qui primus*: hæc annotat, *Est autem elẽchos Græcè, idem fere quod* σύλλαβος (*id est, vt in epistolis ad Atticum scribit Cicero, quasi comprehensio: sed Latinè index*) ἀπὸ τοῦ ἐλέγχειν, *quod significat arguere ac patefacere. id quod solent indices, ab indicando nominati.* Scilicet verò tanta esse horum exemplarium debebat autoritas, deinde etiam Hermolai, nimium se illis credulũ præbẽtis, vt nũquam ista vocabuli huius significatio in dubiũ vocaretur. Atqui in illis reperitur etiã verbum *explicit*, oppositum verbo *incipit*: vt, *Explicit Pliniј historiarum mũdi liber primus, incipit secũdus*. Sic in Terentianis, *Explicit Andria Terentiј, incipit Eunuchus*. Ergo & verbum Explicit locũ in Latina lingua habere debebit: quum tamen minimè Latinum esse cõstet, quanuis à Latino sermone ortum: sed explicitum librum Martialis, explicitum tractatum Vlpianus dicat, finitum significans, seu absolutum. Atque vt de verbo *explicit* taceam, cur non potius de prõptum eadem ratione ex Terentianis exem-

plaribus nomen *periocha* in Latinam linguā introducunt? Ad Hermolaū verò quod attinet, is cautius de verbi ἐλέγχειν significatione loquutus est, quàm quidam, qui, dum ad illam nominis elēchus significationem falsò receptam respicerent, scripserunt verbum illud interdum esse Inuestigare: ideóque aptè indicē libri appellari elenchū, quoniam adminiculo indicis inuestigātur loci. Equidem simulatque didicero ἐλέγχειν esse interdum Inuestigare, illi vocis *elenchus* significationi & ipse assentiar, ac palinodiam canere incipiam. vt nimirum elenchus dicatur quasi Inuestigatio, seu Inuestigatoriū: eadem ratione qua crassiore seculo dicebatur Repertorium. Fatemur (dicent nonnulli docti viri: nam & ex eorū numero quosdā esse scio qui hîc errorem nolint vel potius non possint agnoscere) ἐλέγχειν falsò exponi Inuestigare: sed potest significare Ostendere: eodem modo quo Maro verbo Arguit, quod est ἐλέγχει, vsus est pro Ostendit, Patefacit, Prodit: vbi dixit, -*degeneres animos timor arguit*. At ego hoc primùm ex iis scire velim, cur potius ex loco Virgilii velint Græcę voci vsum hūc astruere, quàm eum verbali nomini Latino illius verbi quo Maro vsus est, tribuere. vt nimirum argu-

mentum, ab arguendo, id est ostendendò & patefaciendo, appellent quod elenchum nunc vocant. Quòd si alias iam significationes datas esse illi nomini Argumentum respondeant, itidem ego ἔλεγχος suas iam significationes habere, & nouæ cuipiã locum minimè relictum esse dicam. Esto enim, Maronem ita vsum esse verbo arguere (qui vsus minimè peculiaris illi est: quum Horatius dixerit eodem modo, *amantem languor & silentium arguit*: & Naso, *genus arguitur vultu*, item *virtus arguitur malis*: & ab hac significatione argumentum dicatur itidẽ pro indicio) esto etiam Latinos in illa significatione respexisse ad Græcũ ἐλέγχειν, & imitari ipsum voluisse: quid? quum & verbum κατηγορεῖν hanc ipsam significationem alicubi habere comperiatur, quam & ἐλέγχειν habet, nónne eadem ratione indicẽ libri, sicut ἔλεγχον, ita etiam κατηγορίαν aut κατηγόρημα vocare possemus? Ignoscat mihi lector si ad hæc ἄτοπα aduersarios meos compello, quum hac ratione facilius eos mihi manus daturos sperem. Et quanuis hunc sermonem iam nimis prolixũ esse videã, duo tamen ei adiicienda sunt. Vnum est: ex illa quam dixi verbi κατηγορεῖν significatione (cuius exempla Thesaurus meus

suggeret

suggeret) colligi posse fortassis, verbũ ἐλέγχω itidẽ non esse prima significatione Ostẽdo, siue Arguo pro Ostẽdo: atq; adeò nõ simpliciter esse Ostẽdo, sed Conuincendo ostẽdo. vt αὐτὸν ἤλεγξε ψεύστην ὄντα, Ipsum cõuincẽdo ostendit esse mendacem. Vel, Ita cõuicit vt mẽdacem esse ostẽderit. Deinde, etiamsi ἐλέγχω esset simpliciter Ostẽdo, cur ἔλεγχος potius eã significationẽ haberet quàm δεῖγμα: quod ab eo verbo est quo significari simpliciter Ostendo, nullus est qui nõ fateatur.

De *rhapsodia* autem & quibusdam aliis in proximè sequente capite dicetur.



De aliis vocibus variis, in quibus partim superior ille in significatione, partim alius, & quidem varius, cernitur Græcæ linguæ abusus. CAP. IX.

Ex iis qui nõnullis Græcæ linguæ vocabulis Latino sermoni immixtis sunt abusi, alii tanquam in tenebris errarũt, vtpote qui nullam eius cognitionem haberẽt: alii (vt antea dixi) prælucentẽ sibi grammaticen, atque ipsum vsum, loquendi magistrum, cõtempserunt, & se ὑπὲρ τὰ ἐσκαμ-

μαθήματα τῶν δίχ' non viderunt. Quanuis autē illi errores de quibus in prima huius libri parte disserui, crassi sint, ideóque illi Græcæ linguæ ignorationi imputandi videri possint: sunt tamen ex illis quoque nonnulli quos & peritissimi sermonis illius per imprudentiam commiserunt & committunt. Posséntque illis addi & alii, in quorū nonnullos quum homines sermonis illius non ignaros incidisse certò sciam, tamē id me dicentem vix impetraturum fidem spero. Tale est, *epitoma, epitomatis*. quis enim olim tale verbū ex ore alicuius hominis profectum fuisse putet qui grammaticen Græcam vel à limine (quod aiunt) salutasset? & tamen ita se res habet. Sed de erroribus eiusmodi in prima huius libri parte dicere contentus fui: at illi de quibus postea tractaui, necnon ii de quibus nunc sum tractaturus, ab illis sunt diuersi. An autē quædā hîc pro erroribus habeam, quæ contrà emendatè dicantur, lectorum esto iudicium, eorum quidem certè qui & longo vsu linguā Græcam callēt, & errorem suum ingenuè fateri quàm ei patrocinando tergiuersari malunt.

Thesaurarius & *Bibliothecarius*, vocabula sunt ex Græcis quidē nominibus facta, *thesaurus* & *biblictheca*: sed iniuriam nos Græ-

co ſermoni facere puto quum talem eius vocabulis terminationem aſſuimus: quaſi verò ipſa, ſine Latinæ adminiculo, eadem illa exprimere non poſſit: quum in promptu ſint ei θησαυροφύλαξ & βιβλιοθηκοφύλαξ. Eiuſdem cum illis duobus farinę eſt *Apocriſarius*, quod quidam maiorum noſtrorũ ſeculo de põtificiis legatis vſurparũt.

Quidam verò aliter haſce duas linguas miſcent, vocabulũ vnum ex duobus, Græco & Latino, conflãtes: perinde acſi id vbique facere liceat, aut etiam fieri commodè poſſit. Horum autem in numero ponendi ſunt qui *monoculus* in Latinum ſermonem inuexerũt, vel potius inuehere conati ſunt. Neque tamen ignoro quædã Latinos vſurpaſſe quæ ex ſuo & Græco vocabulo eſſent compoſita, & quorundam à Fabio etiam mentionẽ fieri: ſed eorũ alia eſt ratio. Neq; pro illis facit *pultiphagus*, aut tale aliquod à iocante comœdia excogitatum verbum.

De lingua Græca malè mereri videntur & qui vocabulum aliquod Gręcum legi Latini ſermonis ſeruire cogunt: veluti qui *inclytiſſimus* dicunt. Malè etiam mereri de illa puto eos qui voci cuipiam Græcæ in Latino ſermone formam tribuunt quam in ſuo nõ haberet: licet ibi nonnullæ eam habeant.

Cuiusmodi est *Stoicidæ*. quis enim *Stoici* patronymici formam assumere posse credat apud Latinos, quum id illi & aliis id genus in Græca lingua sit negatum?

Sunt verò & qui vsum quorundam Græcorum in Latina lingua extēdere latius volunt, quàm in Græca extenditur. Veluti qui passim *Metricus sermo* vel *Metrica oratio* dicunt. Nā μέτρον quidē est versus seu carmē, sed μετρικὸν λόγον ne ipsi quidē Græci dicūt, quod sciam: quū alioqui huius adiectiui aliquē in vtraq; lingua esse vsum non inficier.

Qui verò *diætam* in ea significatione dixerunt qua Gallicus sermo interdum vtitur ἀντὶ ἀσιτίας (quum dicit *faire diete*) multo etiam grauius peccasse dici possunt: atque ita nouam significationem huic Græco vocabulo dedisse, vt simul eā quā apud Græcos habet restringerent: quum δίαιτα exigat quidem ἀσιτίαν interdum, sed & alia plurima. Neq; hîc omittēdi qui *rhapsodiā* pro farragine dicūt. Sūt etiā qui *scholia* non vocāt, nec vocāda putāt, nisi quæ sunt breuiter in scriptorem quempiam annotata: quum tamen nusquam apud Græcos σχόλια ita restringi animaduerterim. Ex quodam Ciceronis loco in epist. ad Atticum videtur hæc opinio initium sumpsisse. Esto verò, *scholiō*

à Cicerone ibi dici de commentatiuncula quapiam: an propterea σχόλια iustam commentationem significare non possunt? Nisi fortè qui ita sentiunt, dicant Latinis placuisse hunc illius vocabuli vsum coarctare, vt contrà nominis *scholæ* significationẽ dilatare. Sed huius exẽpla mihi sunt in promptu, illius desidero. Et quoniam in huius vocabuli mentionem incidi, addam aliquid & de vsu vocis *gymnasium*, non eos qui pro schola seu ludo literario vsurpant, damnaturus (vt à quibusdam damnari scio) sed contrà defensurus. Nam me quoque memini de hoc vocabuli istius vsu aliquando fuisse reprehensum. Sciant igitur gymnasium ita de schola posse dici per metaphoram, vt siquis literariam palæstram eam vocaret: & Tullium ita vsum esse cũ alibi, tum in iis quæ Paradoxis est præfatus, *Ego autẽ illa ipsa quæ vix in gymnasiis & in otio Stoici probant, ludens conieci in communes locos.*

Quidam pro substantiuis adiectiua vsurparũt: vt qui autorẽ eius operis quod ἐτυμολογικὸν dicitur, appellãt *etymologicum*, quũ vocare debeãt *etymologũ*. licet & ipse alios in appellatione illa per imprudẽtiam aliquãdo sequutus sim. Differant saltẽ necesse est illa quantum ῥήτωρ & ῥητορικὸς differũt. Vicis-

ſim autem ſubſtantiuis quidam malè adiectiuorum locum tribuunt. Sed Eraſmus quoties *phaſides* aues dicit pro phaſianis, errorem hunc alio cumulat : quoniam hîc adiectiuum à ſubſtantiui ſignificatione longè recedit.

Nonnulli verò in quibuſdam vocibus quæ affinitatem inter ſe habent (ſaltē quod ad ſcripturam attinet) grauius etiam peccāt. Atque hîc ob ea quæ modò dixi de autore operis quod etymologicum vocatur, recordor tituli libri cuiuſdam in quo multi propter illam vicinitatem falluntur : qui nimirum Clementis στρώματα vocant eos libros qui στρωματεῖς dici debent, vt & ab eo inſcripti fuerunt. Quàm autem vicinæ ſunt hæ ſcripturæ, tam ſunt ſignificationes remotæ. Aliquot tamen locis idem peccatum & ipſe typographus admiſit. De alio erroris genere hîc monebo, valde quidem diuerſo, ſed tamen itidem ad titulos librorum pertinente. Is eſt eorum qui, vbi duo nomina alicui ſcriptori dantur, quorum alterum eſt patris, vtrumque vni eidémque tribuunt. Sic malè *Euſebius Pamphilus* ab omnibus appellatur, qui *Euſebius Pamphili* vel potius *Pāphili filius* vocari debet : Εὐσέβιος ὁ Παμφίλου. Sic *Hermeas Sozomenus*, qui dici debet

Hermeas Sozomeni filius, Ἑρμείας ὁ Σωζομένου. Sed qui Εὐσεβίου τοῦ Παμφίλου & Ἑρμείου τοῦ Σωζομένου legerunt, nō animaduerterunt more Grȩco ſubaudiri debere υἱοῦ.

Fuerũt & qui vocabula quædam, Græca quidem, ſed in aliam terminationem tranſformata, in ſuã Latinam linguam inuexerũt: veluti qui ex νεώτερος fecerũt *neotericus*. Donec enim id apud quempiã ſcriptorem Græcum, eúmque ἀξιόπιστον, inuenerim, aliud mihi de vocabulo iſto perſuadere non potero. Sic verò quidam ex τύμβος fecerunt *tũba*. vt hîc, *-exigua eſt hæc mihi tũba ſatis*. Sic in iſto verſu, *Tumba breuis Priami herois*. Neſcias certè sítne à Græco τύμβος, an à Gallico *tumbe*: quo ſignificatur itidem τύμβος, ídque fœminino itidem genere. At verò nomẽ *monoculus*, cuius antea mentionem feci, primam tantùm ſui partẽ Græcæ linguæ debet.

Vt autẽ verba quædã in Latinũ ſermonẽ inuecta fuerũt ex Græcis facta, ſed priſcis tamen Latinis incognita: ita viciſſim quidã verbũ ex Græco factũ, & iam olim ab ipſo Terentio vſurpatũ, è Latinitatis finibus expellere conati ſunt, in ea quidẽ certè ſignificatione qua hic comicus vſus eſt. Quum enim ita in extrema Eunucho ille ſcripſerit,

-at ego pro isto Phædria & tu Chærea
Hunc comedendum & deridendum vobis propino:

quidam *propino* in *præbeo* mutauerunt. Sed quanuis eius & ingenium & iudicium qui mutationis huius autor extitit, plurimi faciam, & quanuis ad quasdam quas affert rationes, autoritatem librorum aliquot veterum adiungat, nunquam hæc καινοτομία mihi placuit. Quo lubentius vidi verbum propino in suam sedem repositum à doctissimo & diligētissimo viro, Gabriele Faerno. Lubēter etiam legi hāc eius annotationem, qua veteris lectionis velut assertorē & vindicem se præbet. *Recentißimus quisque & peßimus liber*, præbeo: *Bembinus verò & omnes alij antiqui*, propino *habent: vt in lectione vulgata. Ita & Donatus: qui dicit Gnathonem facetè sic dixisse, vt parasitum, & vt qui de conuiuio loqueretur. Atqui si dixisset*, deridendum præbeo, *quid faceti esset in dicto? Nec versui propterea timendū, quòd* propino *primam corripiat. nā & eandem producit Martialis*. Subiungit autem quatuor Martialis locos quibus id cōfirmat.

SVNT porro & vocabula quædā Græca in vulgarem linguam Latinam, id est, eam qua hodie vulgus vtitur (de ea enim à

me institutus est sermo) non aliunde quàm ex theologicis scriptis profecta: quæ ideo nõ alibi quàm in scriptionibus ad theologiam seu ad Christianam religionem pertinentibus locum habere videntur. Incipiam autem à vocabulo *hypocrita*, quod ex ipso Euangelio manauit: & Gallico sermoni (dicenti *hypocrite*, mutata duntaxat terminatione) nõ minus familiare est quàm si Gallicũ esset. Equidem pernecessariũ esse fateor hoc verbum, quum eiusmodi sit vt eo vix carere possimus: hoc præsertim seculo, quo frequenter in huiusmodi homines incidimus, adeo vt eorũ sæpe faciẽda sit mẽtio. Eo vix posse nos carere dico, quoniam alioqui verborum aliquot periphrasi id circũloqui necesse est quod vno exprimimus: & quidẽ pluribus malè exprimere, quod vnico significanter dicimus. Nam pro *hypocrita* siquis dicat Homo simulatus, illis non satisfaciet qui vocis illius vim intelligũt: præterquam quòd Latinius esse videtur, Homo simulato ingenio. Quòd siquis illa Salustii verba huc accõmodare velit, *Qui aliud clausum in pectore, aliud in lingua prõptum habet*, ne hac quidẽ lõgiuscula periphrasi vim illius nominis assequetur. quia nõ quæuis simulatio, sed virtutis alicuius simulatio vóce illa declaratur. Ideóque interrogatus quid Latinè dici

possset quod voci illi responderet, nihil excogitare aptius potui quàm Simulator virtutis: sic tamẽ vt faterer latius etiam patere interdum hæc verba quàm pateat Gallicè *hypocrite*: ob generale nomen virtutis. quoniã interdum dicitur de eo qui, vt quodpiã vitiũ tegat, virtutem aliquam ei vitio contrariam simulat & præ se fert. Possint fortassis ad exprimendam vim huius vocabuli aptari & verba quibus Cicero in vertendo quodam Platonis loco vtitur: vt nimirum sint hypocritæ, Qui quum maximè fallũt, id agunt vt boni viri esse videãtur. Verùm hoc de quibusdã tãtùm. quia nõ omnes hypocritæ illis fallaciis gaudent, sed solùm siquod aliud vitium illis inest, conãtur tegere & dissimulare. adeo vt quoddam hypocritarum genus hoc etiã versu describi, dicturi meritò simus, *Qui Curios simulant & bacchanalia viuunt*. Quãuis autẽ tantopere nobis laborandum sit in eo exprimendo quod totum vna voce illa significare possumus, tamen non video quomodo nobis ea vti in aliis quàm iis quos dixi locis liceat: vt nimirum eò vnde prodiit reuertatur.

Iam verò quemadmodum *hypocrita*, ὑποκριτὴς, alium vsum in Euãgelicis habet scriptis quàm eum qui passim apud scripto-

res Græcos inuenitur, (sicut nimirum ὑπο-κρίνεσθαι aliud Homero & Herodoto quàm eorum posteris significat) ita etiam parabola, παραβολή. quum *parabola*, παραβολὴ, nõ sit ibi cõparatio seu similitudo simpliciter, sed ænigmatica quædam cõparatio vel allegorica, aut etiam ænigma seu allegoria. Retinent Galli talem vocis illius vsum, quũ dicunt *Parler par paraboles.* Ex quo per deprauationẽ factum fuit *phariboles*: sic tamẽ vt simul immutatam aliquantum significationem habeat. In hoc autem nominis *parabola* vsu eadem cautione vtendum fuerit qua & in illo nominis *hypocrita.*

Quædã sunt alia vocabula in Latinum theologorum sermonem ex Græco introducta: quæ tantum abest vt tantos autores habeant, vt vix inuenire possint fortasse qua se autoritate tueri queant. Sed de illis, & aliis quæ nunc persequi nõ vacat, quinetiam de iis quæ in quantitate quarundam vocum è Græco sermone sumptarum peccantur, aliàs, Deo fauente, à me dicetur.





